# APPENDIX VERGILIANA (2522 vers)

## AETNA

Aetna mihi ruptique cavis fornacibus ignes
et quae tam fortes volvant incendia causae,
quid fremat imperium, quid raucos torqueat aestus,
carmen erit. Dexter venias mihi carminis auctor
seu te Cynthos habet seu Delo est gratior Hyla
seu tibi Dodone potior, tecumque faventes
in nova Pierio properent a fonte sorores
vota : per insolitum Phoebo duce tutius itur.
Aurea securi quis nescit saecula regis ?
Cum domitis nemo Cererem jactaret in arvis
venturisque malas prohiberet fructibus herbas,
annua sed saturae complerent horrea messes,
ipse suo flueret Bacchus pede mellaque lentis
penderent foliis et pinguis Pallas olivae,
secretos amnis ageret cum gratia ruris ?
Non cessit cuiquam melius sua tempora nosse.
Ultima quis tacuit juvenum certamina Colchos ?
Quis non Argolico deflevit Pergamon igni
impositam et tristi natorum funere matrem ?
Aversumque diem sparsumve in semina dentem ?
Quis non perjurae doluit mendacia puppis
desertam vacuo Minoida litore questus ?
Quidquid et antiquom jactata est fabula carmen ?
Fortius ignotas molimur pectore curas :
qui tanto motus operi quae causa perenni
explicet in densum flammas et trudat ab imo
ingenti sonitu moles et proxima quaeque
ignibus irriguis urat mens carminis haec est.
Principio ne quem capiat fallacia vatum
sedes esse dei tumidisque e faucibus ignem
Volcani ruere et clausis resonare cavernis
festinantis opus : non est tam sordida divis
cura neque extremas jus est dimittere in artes
sidera ; subducto regnant sublimia caelo
illa neque artificum curant tractare laborem.
Discrepat a prima facies haec altera vatum :
illis Cyclopas memorant fornacibus usos,
cum super incudem numerosa in verbera fortes
horrendum magno quaterent sub pondere fulmen
armarentque Jovem : turpe et sine pignore carmen.
Proxima vivaces Aetnaei verticis ignes
impia sollicitat Phlegraeis fabula castris.
Temptavere (nefas) olim detrudere mundo
sidera captivique Jovis transferre gigantes
imperium et victo leges imponere caelo.
His natura sua est alvo tenus ; ima per orbes
squameus intortos sinuat vestigia serpens.
Construitur magnis ad proelia montibus agger :
Pelion Ossa creat, summus premit Ossan Olympus.

Jam coacervatas nituntur scandere moles,
impius et miles metuentia comminus astra
provocat, infestus cunctos ad proelia divos
provocat admotisque ad tertia sidera signis,
Juppiter e caelo metuit dextramque corusca
armatus flamma removet caligine mundum.
Incursant vasto primum clamore gigantes :
hic magno tonat ore pater geminantque faventes
undique discordes comitum simul agmine venti.
Densa per attonitas rumpuntur flumina nubes
atque in bellandum quae cuique potentia divum
in commune venit. Jam patri dextera Pallas
et Mars laevus erat, jam cetera turba deorum,
stant utrimque : deus validos tum Juppiter ignis
increpat et jacto proturbat fulmine montes.
Illinc devictae verterunt terga ruinae
infertae divis acies atque impius hostis
praeceps cum castris agitur materque jacentes
impellens victos. Tum pax est reddita mundo,
tum liber cessata ; venit per sidera, caelum
defensique decus mundi nunc redditur astris.
Gurgite Trinacrio morientem juppiter Aetna
obruit Enceladon, vasto qui pondere montis
aestuat et petulans exspirat faucibus ignem.
Haec est mendosae volgata licentia famae.
Vatibus ingenium est : hinc audit nobile carmen.
Plurima pars scaenae rerum est fallacia : vates
sub terris nigros viderunt carmine Manes
atque inter cineres Ditis pallentia regna,
mentiti vates Stygias undasque canesque.
Hi Tityon poena stravere in jugera foedum ;
sollicitant illi te circum, Tantale, poena
sollicitanque siti ; Minos, tuaque, Aeace, in umbris
jura canunt idemque rotant Ixionis orbem,
quicquid et interius, falsi sibi conscia terra est.
Nec tu, terra, satis : speculantur numina divom
nec metuont oculos alieno admittere caelo.
Norunt bella deum, norunt abscondita nobis
conjugia et falsa quotiens sub imagine peccent,
taurus in Europen, in Ledam candidus ales
Juppiter, ut Danaae pretiosus fluxerit imber.
Debita carminibus libertas ista, sed omnis
in vero mihi cura : canam quo fervida motu
aestuet Aetna novosque rapax sibi congerat ignis.
Quacumque immensus se terrae porrigit orbis
extremique maris curvis incingitur undis,
non totum ex solido est ; desint namque omnis hiatu,
secta est intus humus penitusque cavata latebris
exiles suspensa vias agit ; utque animanti
per tota errantes percurrunt corpora venae,
ad vitam sanguis omnis qua commeat, isdem
terra voraginibus conceptas derigit auras.
Scilicet aut olim diviso corpore mundi
in maria ac terras et sidera, sors data caelo
prima, secuta maris deseditque infima tellus,
sed tortis rimosa cavis et, qualis acervos
exsilit imparibus jactis ex tempore saxis
(ut crebro introrsus spatio vacat acta charybdis

pendeat in sese, simili quoque terra futura
in tenuis laxata vias non omnis in artum
nec stipata coit) sive illi causa vetusta est
nec nata est facies, sed liber spiritus intrat
et fugiens molitur iter ; seu nympha perenni
edit humum limo furtimque obstantia mollit ;
aut etiam inclusi solidum vicere vapores
atque igni quaesita via est ; sive omnia certis
pugnavere locis non est hic causa dolendi,
dum stet opus causae. Quis enim non credit inanis
esse sinus penitus, tantos emergere fontes
cum videt aut uno rursus se mergere hiatu ?
Non ille ex tenui quocumque agat : apta necesse est
confluvia errantes arcessant undique venas
et trahat ex pleno quo fortem contrahat amnem.
Flumina quin etiam latis currentia rivis
occasus habuere suos : aut illa vorago
derepta in praeceps fatali condidit ore,
aut occulta fluont tectis adoperta cavernis
atque inopinatos referunt procul edita cursus.
Quod nisi diversos emittat terra canales
hospitium fluvium, jam et semita nulla profecto
fontibus et rivis constet via, pigraque tellus
conferta in solidum segni sub pondere cesset.
Quod si praecipiti conduntur flumina terra,
condita si redeunt, si qua et jam incondita surgunt,
haud mirum, clausis etiam si libera ventis
spiramenta latent. Certis tibi pignera rebus
atque oculis haesura tuis dabit ordine tellus.
Immensos plerumque sinus et jugera pessum
intercepta licet densaque abscondita nocti
prospectare : procul chaos ac sine fine ruinae.
Cernis et in silvis spatiosa cubilia retro
antraque demersas penitus fodisse latebras :
incomperta via est, aer tantum effugit ultra.
Argumenta dabunt ignoti vera profundi,
tu modo subtiles animo duce percipe curas
occultamque fidem manifestis abstrahe rebus.
Nam quo liberior quoque est animosior ignis
semper in inclusis, nec ventis segnior ira est
sub terra penitusque movent hoc plura : necesse est
vincla magis solvant, magis hoc obstantia pellant.
Nec tamen in rigidos exit contenta canales
vis animae flammaeve : ruit qua proxima cedunt
obliquomque secat qua visa tenerrima causa est.
Hin terrae tremor, hinc motus, ubi densus hiantu
spiritus exagitat venas cessantiaque urget.
Quod si spissa foret, solido si staret in omni,
nulla daret miranda sui spectacula tellus
pigraque et in pondus conferta immobilis esset.
Sed summis si forte putas concrescere causis
tantum opus et subitis alimentum viribus, ora,
quod valida in promptu cernis, validosque recessus,
falleris et nondum certo tibi lumine res est.
Namque illis quodcumque vacans hiat impetus omnes
et sese introitu solvunt adituque patenti
conversae languent vires animosque remittunt.
Quippe ubi quod teneat ventos acuatque morantis

in vacuo defit, cessant tantumque profundi
explicat errantis et in ipso limine tardant :
angustis opus est turbent in faucibus, illic
fervet opus densaque premit premiturque ruina
nunc Euri Boreaeque Notus, nunc hujus uterque.
Hinc venti rabies, hinc saevo quassat hiatu
fundamenta soli, trepidant urbesque caducae
inde, neque est aliud, si fas est credere, mundo
venturam antiqui faciem, veracius omen.
Haec imo cum sit species naturaque terrae,
introrsus cessante solo trahit undique venas
Aetna sui manifesta fides et proxima vero est.
Non illic, duce me, occultas scrutabere causas :
occurrent oculis ipsae cogentque fateri.
Plurima namque patent illi miracula monti.
Hinc vasti terrent aditus merguntque profundo,
porrigit hinc artos penitus quos exigit ultra.
Hinc spissae rupes obstant discordiaque ingens
inter opus : nectunt varie mediumque coercent,
pars igni domitae, pars ignem ferre coactae,
ut major species Aetnae succurrat inanis.
Haec operis visenda sacri faciesque domusque,
haec illi sedes tantarumque area rerum est.
Nunc opus artificem incendi causamque reposcit.
Non illam parvo aut tenui discrimine : ignes,
mille sub exiguo ponent tibi tempora vera.
Res oculos ducunt, res ipsae credere cogunt.
Quin etiam tactus moneat, contingere tuto
si liceat : prohibent flammae custodiaque ignis
illi operi est ; arcens aditus divinaque rerum
cura sine arbitrio est : eadem procul omnia cernes.
Nec tamen est dubium, penitus quis torreat Aetnam
aut quis mirandus tantae faber imperet arti.
Pellitur exustae glomeratim nimbus harenae,
flagrantes properant moles, volvontur ab imo
fundamenta fragor tota nunc rumpitur Aetna,
nunc fusca pallent incendia mixta ruina.
Ipse procul tantos miratur Juppiter ignes,
neve sepulta novi surgant in bella Gigantes
neu Ditem regni pudeat neu Tartara caelo
vertat in occulto tantum premit ! omnia at extra
congeries operit saxorum et putris harenae.
Quae nec sponte sua veniunt nec corporis ullis
sustentata cadunt robustis viribus : omnes
exagitant venti turbas ac vertice saevo
in densum collecta rotant volvuntque profundo.
Haec causae exspectata ruunt incendia montis ;
spiritus inflatis nomen, languentibus aer.
Nam prope, nequiquam per se violentia ; semper
ingenium velox illi motusque perennis,
verum opus auxilium est ut pellat corpora : nullus
impetus est ipsi : qua spiritus imperat, audit.
Hic princeps magnoque sub hoc duce militat ignis.
Nunc quoniam in promptu est operis natura solique,
unde ipsi venti ? quae res incendia pascit ?
cur subito cohibentur, inest quae causa silenti ?
subsequar : immensus labor est, sed fertilis idem
digna laboratis respondent praemia curis.

Non oculis solum pecudum miranda tueri
more nec effusos in humum grave pascere corpus,
nosse fidem rerum dubiasque exquirere causas,
ingenium sacrare caputque attollere caelo,
scire quot et quae sint magno fatalia mundo
principia (occasus metuunt ? ad saecula pergunt,
et firma aeterno religata est machina vinclo ?),
solis scire modum et, quanto minor orbita lunae est,
haec brevior cur sis bis senos pervolet orbes,
annuos ille meet) ; quae certo sidera currant
ordine quaeve suos servent incondita cursus,
scire vices etiam signorum tradita jura
(sex cum nocte rapi, totidem cum luce referri),
nubila cur caelo, terris denuntiet imbres,
quo rubeat Phoebe, quo frater palleat igni,
tempora cur varient anni (ver, prima juventa
cur aestate perit, cur aestas ipsa senescit
autumnoque obrepit hiemps et in orbe recurrit ?) ;
axem scire Helices et tristem nosse cometem,
Lucifer unde micet quave Hesperus, unde Bootes,
Saturni quae stella tenax, quae Martia pugnax,
quo rapiant nautae, quo sidere lintea tendant ;
scire vias maris et caeli praediscere cursus,
quo vocet Orion, quo Sirius excubet index,
et quaecumque jacent tanto miracula mundo
non disjecta pati nec acervo condita rerum,
sed manifesta notis certa disponere sede
singula, divina est animi ac jucunda voluptas.
Sed prior haec homini cura est, cognoscere terram
et quae hunc miranda tulit natura notare :
haec nobis magna, affinis caelestibus astris.
Nam quae mortali spes quaeve amentia major,
in Jovis errantem regno perquirere velle,
tantum opus ante pedes transire ac perdere sese est !
Torquemur miseri in parvis premimurque labore.
Scrutamur rimas et vertimus omne profundum,
quaeritur argenti semen, nunc aurea vena,
torquentur flamma terrae ferroque domantur,
dum sese pretio redimant, verumque professae
tum demum viles taceant inopesque relictae.
Noctes atque dies festinant arva coloni ;
callent rure manus, glebarum expendimus usum :
fertilis haec segetique feracior, altera viti,
haec platanis humus, haec herbis dignissima tellus,
haec diviti melior pecori silvisque fidelis,
aridiora tenent oleae, sucosior ulmis
grata. Leves cruciant animos et corpora causae,
horrea uti saturent, tumeant et dolea musto
plenaque desecto surgant faenilia campo :
sic avidis semper qua visum est carius istis.
Implendus sibi quisque bonis est artibus : illis
sunt animi fruges, haec rerum est optima merces :
scire quid occulto terrae natura coercet,
nullum fallere opus, non mutum cernere sacros
Aetnaei montis fremitus animosque furentis,
non subito pallere sono, non credere subter
caelestes migrasse minas aut Tartara mundi ;
nosse quid impediat ventos, quid nutriat illos,

unde repente quies et juncto foedere pax sit.
Concrescunt animi penitus, seu forte cavernae
introitusque ipsi servent, seu terra minutis
rara foraminibus tenuis in se abstrahat auras
plenius hoc etiam, rigido quia vertice surgit
illinc infestis atque hinc obnoxia ventis
undique diversas admittere cogitur auras,
et conjuratis addit concordia vires,
sive introrsus agunt nubes et nubilus Auster
seu forte flexere caput tergoque feruntur,
praecipiti delata sono premit una fugatque
torrentes auras pulsataque corpora denset.
Nam veluti sonat ora diu Tritone canoro,
pellit opus collectus aquae vinctusque moveri
spiritus et longas emugit bucina voces ;
carmineque irriguo magnis cortina theatris
imparibus numerosa modis canit arte regentis,
quae tenuem impellens animam subremigat unda ;
haud aliter summota furens torrentibus aura
pugnat in angusto et magnum commurmurat Aetna.
Credendum est etiam ventorum exsistere causas
sub terra similis harum quas cernimus extra,
ut, cum densa premunt inter se corpora, turbant,
elisa in vacuom fugiant et proxima secum
nomina tota trahant tutaque in sede resistunt.
Quod si forte mihi quaedam discordia tecum est,
principiis aliis credas consurgere ventos :
non dubium rupis aliquas penitusque cavernas
proruere ingenti sonitu casuque propinquas
diffugere impellique animas, hinc crescere ventos ;
aut humore etiam nebulas effundere largo,
ut campis agrisque solent, quos alluit amnis :
vallibus exoriens caligat nubilus aer,
flumina parva ferunt auras, vis proxima vento est,
eminus adspirat fortis et verberat humor.
Atque haec in vacuo si tanta potentia rerum est,
hoc plura efficiant infra clusique necesse est.
His agitur causis extra penitusque : coactus
exagitant ventos ; pugnant in faucibus ; arte
pugnantes suffocat iter. Velut unda profundo
terque quaterque exhausta graves ubi perbibit Euros,
ingeminant fluctus et primos ultimus urget :
haud secus adstrictus certamine tangitur ictu
spiritus involvensque suo sibi pondera vires
densa per ardentes exercet corpora venas
et quacumque iter est, properat transitque morantem,
donec confluvio veluti siphonibus actus
exilit atque furens tota vomit igneus Aetna.
Quod si forte putas isdem decurrere ventos
faucibus atque isdem pulsos remeare, notandas
res oculis locus ipse dabit cogetque negare.
Quamvis caeruleo siccus Jove fulgeat aether
purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro,
illinc obscura semper caligine nubes
pigraque defuso circumstupet humida voltu
prospectans sublimis opus vastosque receptus.
Non illam videt Aetna nec ullo intercipit aestu ;
obsequitur quacumque jubet levis aura, reditque.

Placantes etiam caelestia numina ture
summo cerne jugo vel qua liberrimus Aetnae
introspectus hiat, tantarum semina rerum,
si nihil irritet flammas stupeatque profundum.
Huic igitur credis, torrens ut spiritus ille,
qui rupis terramque notat, qui fulminat ignis,
cum rexit vires et praeceps flexit habenas,
praesertim ipsa suo declivia pondere numquam
corpora deripiat validoque absolverit arcu ?
Quod si fallor, adest species tantusque ruentis
impetus attentos oculorum transfugit ictus.
Nec levis adstantes igitur ferit aura movetque.
Sparsa liquore manus sacros ubi ventilat ignes,
verberat ora tamen, pulsatque corpora nostris
incursant, adeo in tenui vim causa repellit !
Non cinerem stipulamve levem, non arida sorbet
gramina, non tenues plantas humus excita praedas.
Surgit odoratis sublimis fumus ab aris :
tanta quies illi est et pax innoxia rapti !
Sive peregrinis igitur propriisve potentes
conjurant animae causis, ille impetus ignes
et montis partes atra subvectat harena
vastaque concursu trepidantia saxa fragoris
ardentesque simul flammas ac fulmina rumpunt :
haud aliter quam, cum prono jacuere sub Austro
aut Aquilone fremunt silvae, dant bracchia nodo
implicitae et serpunt junctis incendia ramis.
Nec te decipiant stolidi mendacia volgi,
exhaustos cessare sinus, dare tempora, rursus
ut rapiant vires repetantque in proelia victi.
Pelle nefas animo mendacemque exue famam :
non est divinis tam sordida rebus egestas
nec parvas mendicat opes nec corrogat aures.
Praesto sunt operae ventorum examina semper ;
causa latet, quae rumpat iter cogatque morari.
Saepe premit fauces magnis exstructa ruinis
congeries clauditque vias luctamine ab imo
et, spisso veluti tecto, sub pondere praestat
haud similes teneros cursu, cum frigida monti
desidia est tutoque licet discedere ventos.
Post, ubi conticuere, mora velocius urgent ;
pellunt oppositi moles ac vincula rumpunt ;
quicquid in obliquum est, frangunt iter, acrior ictu
impetus exoritur ; magnis operata rapinis
flamma micat latosque ruens exundat in agros :
sic cessata diu referunt spectacula venti.
Nunc superant quaecumque regant incendia silvae,
quae flammas alimenta vocent, quid nutriat Aetnam.
Incendi poterunt illis vernacula causis
materia appositumque igni genus utile terrae.
Uritur assidue calidus nunc sulpuris humor,
nunc spissus crebro praebetur alumine sucus ;
pingue bitumen adest et quicquid comminus acris
irritat flammas, illius corporis Aetna est.
Atque hanc materiem penitus discurrere fontes
infectae eripiantur aquae radice sub ipsa ;
pars oculis manifesta jacet, quae robore dura est
ac lapis : in pingui fervent incendia suco.

Quin etiam varie quaedam sine nomine saxa
toto monte liquent : illis custodia flammae
vera tenaxque data est. Sed maxima causa molaris
illius incendi lapis est, sibi vindicat Aetnam.
Quem si forte manu teneas ac robore cernas,
nec fervere putes ignem nec spargere posse ;
sed simul ac ferro quaeras, respondet et ictu
scintillat dolor ; hunc multis circum injice flammis
et patere extorquere animos atque exue robur :
fundetur ferro citius, nam mobilis illi
et metuens natura mali est, ubi coritur igni ;
sed simul atque hausit flammas, non tutior haustis
ulla domus servans aciem duransque tenaci
saepta fide : tanta est illi patientia victo !
Vix umquam redit in vires atque evomit ignem.
Totus enim denso stipatur robore, tarde
per tenues admissa vias incendia nutrit
cunctanterque eadem et pigre concepta remittit.
Nec tamen hoc uno, quod montis plurima pars est,
vincit et incendi causam tenet ille ; profecto
miranda est lapidum vivax animosaque virtus :
cetera materies, quaecumque est fertilis igni,
ut semel accensa est, moritur nec restat in illa
quod repetas, tantum cinis et sine semine terra est :
hic semel atque iterum patiens ac mille perhaustis
ignibus instaurat vires nec desinit ante
quam levis excocto defectit robore pumex
in cinerem putresque jacet dilapsus harenas.
Cerne Locris etiam : similis assiste cavernas ;
illic materiae nascentis copia major,
sed genus hoc lapidis (certissima signa coloris)
quod nullas adjunxit opes, elanguit ignis.
Dicitur insidiis flagrasse Aenaria quondam
nunc exstincta super, testisque Neapolin inter
et Cumas locus est multis jam frigidus annis,
quamvis aeterno pingui scatet ubere sulpur :
in mercem legitur, tanto est fecundius Aetna
insula, cui nomen facies dedit ipsa Rotunda,
sulpure non solum nec obesa bitumine terra est,
et lapis adjutat generandis ignibus aptus,
sed raro fumat, quin vix si accenditur ardet,
in breve mortalis flammas quod copia nutrit.
Insula durat adhuc Volcani nomine sacra,
pars tamen incendi major refrixit et alto
jactatas recipit classes portuque tuetur ;
quae restat minor, et dives satis ubere terra est,
sed non Aetnaei vires quae conferat igni.
Atque haec ipsa tamen jam quondam exstincta fuisset,
ni furtim adgereret Siculi vicinia montis
materiam silvamque suam pressove canali
huc illuc ageret ventos et pasceret ignes.
Sed melius res ipsa notis spectataque veris
occurrit signis nec temptat fallere testem.
Nam circa latera atque imis radicibus Aetnae
candentes efflant lapides disjectaque saxa
intereunt venis, manifesto ut credere possis,
pabula et ardendi causam lapidem esse molarem,
cujus defectus jejunos colligit ignes.

Ille ubi collegit, flammas jacit et simul ictu
materiam accendit cogitque liquescere secum.
Haud equidem mirum, facie quae cernimus extra,
si lenitur opus, restat ; magis uritur illic
sollicitatque magis vicina incendia saxum
certaque venturae praemittit pignora flammae.
Nam simul atque movet viris turbamque minatur,
diffugit extemploque solum trahit undique rimis
et grave sub terra murmur demonstrat et ignes.
Tum pavidum fugere et sacris concedere rebus
par erit : e tuto speculaberis omnia colli.
Nam subito effervent onerosa incendia raptis,
accensae subeunt moles truncaeque ruinae
provolvunt atque atra sonant examina harenae.
Illinc incertae facies hominumque figurae :
pars lapidum domita, stanti pars robora pugnae
nec recipit flammas ; hinc indefessus anhelat
atque aperit se hosti, decrescit spiritus illinc,
haud aliter quam cum laeto devicta tropaeo
prona jacet campis acies et castra sub ipsa.
Tum si quis lapidum summo pertabuit igni,
asperior sopito et quaedam sordida faex est,
qualem purgato cernes desidere ferro.
Verum ubi paulatim exsiluit sublata caducis
congeries saxis, angusto vertice surgunt :
sic veluti in fornace lapis torretur et omnis
exustus penitus venis subit altius humor,
amissis opibus levis et sine pondere pumex
excutitur, liquor ille magis fervere magisque
fluminis in speciem mitis procedere tandem
incipit ac primis demittit collibus undas.
Illae paulatim bis sena in milia pergunt,
quippe nihil revocat, curvis nihil ignibus obstat,
nulla tenet frustra moles, simul omnia pugnant :
nunc silvas rupesque notant haec tela, solumque
ipsum adjutat opus facilesque sibi induit amnes.
Quod si forte cavis cunctatus vallibus haesit
(utpote inaequalis volvens perpascitur agros),
ingeminant fluctus et stantibus increpat undis ;
sicut cum rapidum curvo mare cernimus aestu
ac primum tenuis imas agit, ulteriores
progrediens late diffunditur et succernens.
Flumina consistunt ripis ac frigore durant
paulatimque ignes coeunt ac flammea messis
exuitur facies : tum prima ut quaeque rigescit
effumat moles atque ipso pondere tracta
volvitur ingenti strepitu praecepsque sonanti
cum solido inflicta est, pulsatos dissipat ictus
et qua disclusa est candenti robore fulget.
Emicat examen plagis ; ardentia saxa
scintillas procul ecce vides, procul esse : ruentes
incolumi fervore cadunt ; verum impetus igni est
Symaethi quondam ut ripas trajecerit amnis ;
vix junctis quisquam fixo dimoverit illas ;
vicenos persaepe pedes jacet obruta moles.
Sed frustra certis disponere singula causis
temptamus, si firma manet tibi fabula mendax,
materiam ut credas aliam fluere igne, favillae

flumina proprietate simul concrescere, sive
commixtum lento flagrare bitumine sulpur.
Nam posse exusto cretam quoque robore fundi
(et figulos huic esse fidem) dein frigoris usu
duritiem revocare suam et constringere venas.
Sed signum commune leve est atque irrita causa
quae trepidat : certo verum tibi pignore constat.
Nam velut arguti natura est aeris et igni
cum domitum est, constans eademque et robore salvo
ultraque ut possis aeris cognoscere partem,
haud aliter lapis ille tenet, seu forte madentes
effluit in flammas, sive est securus ab illis,
conservatque notas nec voltum perdidit ignis.
Quin etiam alternans multis color ipse fefellit
aut odor aut levitas : putris magis ille magisque,
una operis facies eadem perque omnia terra est.
Nec tamen infitior lapides ardescere certos,
interius furere accensos : haec propria virtus.
Quin ipsis quaedam Siculi cognomina saxis
imposuere fricas et jam ipso nomine signant
fusilis esse notae : numquam tamen illa liquescunt,
quamvis materies foveat sucosior intus,
ni penitus venae fuerint commissa molari.
Quod si quis lapidis miratur fusile robur,
cogitet obscuri verissima dicta libelli,
Heraclite tui : nihil insuperabile igni
omnia quae rerum naturae semina jacta.
Sed nimium hoc mirum ? Densissima corpora saepe
et solido vicina tamen compescimus igni.
Non animos aeris flammis succumbere cernis ?
Lentitiem plumbi non exuit ? ipsaque ferri
materies praedura tamen subvertitur igni
spissaque suspensis fornacibus aurea saxa
exsudant pretium et quaedam fortasse profundo
incomperta jacent similique obnoxia sorti.
Nec locus ingenio est : oculi te judice vincent.
Nam lapis ille riget praeclususque ignibus obstat,
si parvis torrere velis caeloque patenti ;
candenti pressoque agedum fornace coerce :
nec sufferre potest nec saevum durat in hostem,
vincitur et solvit vires captusque liquescit.
Quae majora putas autem tormenta movere
posse manu ? quae tanta putas incendia nostris
sustentare opibus, quantis fornacibus Aetna
uritur a sacro numquam non fertilis igni ?
Sed non qui nostro fervet moderatior usu,
sed caelo propior vel quali Juppiter ipse
armatus flamma est. His viribus additur ingens
spiritus adstrictis elisus faucibus, ut cum
fabriles operae rudibus contendere massis
festinant, ignes quatiunt follesque trementes
exanimant pressoque instigant agmine ventum.
Haec operis fama est ; sic nobilis uritur Aetna :
terra foraminibus vires trahit, urget in artum
spiritus incendi, vis it per maxima saxa.
Magnificas laudes operosaque visere templa,
divitiis hominum aut sacras memorare vetustas
traducti maria et terras per proxima fatis

currimus atque avidi veteris mendacia famae
eruimus cunctasque libet percurrere gentes.
Nunc juvat Ogygiis circumdata moenia Thebis
cernere, quae fratres (ille impiger, ille canorus),
codere, felicesque alieno intersumus aevo ;
invitata piis nunc carmine saxa lyraque,
nunc gemina ex uno fumantia saxa vapore
miramur septemque duces raptumque profundo.
Detinet Eurotas illic et Sparta Lycurgi
et sacer in bellum numerus, sua turba, trecenti ;
nunc hic Cecropiae variis spectantur Athenae
carminibus gaudentque soli victrice Minerva :
excidit hic reduci quondam tibi, perfide Theseu,
candida sollicito praemittere vela parenti ;
tu quoque Athenarum carmen, jam nobile sidus,
Erigone ; sedes vestras Philomela canoris
evocat in silvis ; at tu, soror, hospita tectis
acciperis, solis Tereus ferus exsulat agris.
Miramur Trojae cineres et flebile victis
Pergamon exstinctosque suo Phrygas Hectore ; parvum
conspicimus magni tumulum ducis : hic et Achilles
impiger et victus magni jacet Hectoris ultor.
Quin etiam Graiae fixos tenuere tabellae
signave : nunc Paphiae rorantes arte capilli
sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati,
nunc tristes circa subjecta altaria cervae
velatusque pater, nunc gloria viva Myronis
et jam mille manus operum turbaeque morantur.
Haec visenda putas terrae dubiusque marisque :
artificis naturae ingens opus aspice ; nulla
tum tanta humanae plebis spectacula cernes,
praecipueque vigil, fervens ubi Sirius ardet.
Insequitur miranda tamen sua fabula montem,
nec minus ille pio, quamquam sons, nobilis ignis.
Nam quondam ruptis excanduit Aetna cavernis
et velut eversis penitus fervoribus ignes
evecta in longum lapidis fervoribus unda,
haud aliter quam cum saevo Jove fulgurat aether
et nitidum obscura caelum caligine torquet.
Ardebant agris segetes et mollia cultu
jugera, cum dominis silvae collesque urebant.
Vixdum castra putant hostem movisse ; tremebant,
et jam finitimae portas evaserat urbis.
Tum vero ut cuique est animus viresque rapinae,
tutari conantur opes : gemit ille sub auro,
colligit ille arma et stulta cervice reponit,
defectum raptis illum sua carmina tardant,
hic velox nimio properat sub pondere pauper,
et quod cuique fuit cari, fugit ipse sub illo.
Sed non incolumis dominum sua praeda secuta est :
cunctantes vorat ignis et undique torret avaros ;
consequitur fugisse ratis et praemia ; captis
concrepat ac nullis parsura incendia pascunt
vel solis parsura piis. Namque optima proles
Amphiomus fraterque pari sub munere fortes,
cum jam vicinis streperent incendia tectis,
aspiciunt pigrumque patrem matremque senecta
eheu ! defessos posuisse in limine membra.

Parcite, avara manus, dicens attollere praedas !
illis divitiae solae materque paterque :
hanc rapient praedam mediumque exire per ignem
ipso dante fidem properant. O maxima rerum
et merito pietas homini tutissima virtus !
Erubuere pios juvenes attingere flammae
et quacumque ferunt illi vestigia, cedunt.
Felix illa dies, illa est innoxia terra !
Dextra saeva tenet laevaque incendia ; ferunt
ille per obliquos ignes fraterque triumphans,
tutus uterque pio sub pondere sufficit ; illa
et circa geminos avidus sibi temperat ignis.
Incolumes abeunt tandem et sua numina secum
salva ferunt. Illos mirantur carmina vatum ;
illos seposuit claro sub nomine Ditis
nec sanctos juvenes attingunt sordida fata,
sed curae cessere domus et jura Piorum.

**CATALEPTON**_1

C1 De qua saepe tibi, venit, sed, Tucca, videre
non licet : occulitur limine clausa viri.
De qua saepe tibi, non venit adhuc mihi ; namque
si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.
Venerit, audivi. Sed jam mihi nuntius iste
quid prodest ? Illi dicite cui rediit.

2

C2 Corinthiorum amator iste verborum,
iste iste rhetor, namque quatenus totus
Thucydides, tyrannus Atticae febris :
tau Gallicum, min et sphin et - male illi sit,
ita omnia ista verba miscuit fratri.

3

C3 Aspice quem valido subnixum Gloria regno
altius et caeli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem,
hic reges Asiae fregerat, hic populos,
hic grave servitium tibi jam, tibi, Roma, ferebat
(cetera namque viri cuspide conciderant),
cum subito in medio rerum certamine praeceps
corruit, e patria pulsus in exilium.
Tale deae numen, tali mortalia nutu
fallax momento temporis hora dedit.

4

C4 Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
tangere quas terras quosque videre homines,
dispeream si te fuerit mihi carior alter :
alter enim qui te dulcior esse potest ?
Cui juveni ante alios divi divomque sorores
cuncta neque indigno, Musa, dedere bona,
cuncta, quibus gaudet Phoebi chorus ipseque Phoebus, -
doctior quis te, Musa, fuisse potest ?
O quis te in terris loquitur jucundior uno ?
Clio nam certe candida non loquitur.

11 Quare illud satis est, si te permittis amari ;
12 nam contra ut sit amor mutuus, unde mihi ?

5

C5 v.1 Ite hinc inanes, ite, rhetorum ampullae,
2 inflata rhoso non Achaico verba,
3 et vos, Selique Tarquitique Varroque,
4 scholasticorum natio madens pingui
5 ite hinc inani, cymbalon juventutis.
6 Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
7 vale, Sabine ; jam valete formosi.
8 Nos ad beatos vela mittimus portus
9 magni petentes docta dicta Sironis
10 vitamque ab omni vindicabimus cura.
11 Ite hinc, camenae ; vos quoque ite jam sane,
12 dulces camenae (nam fatebimur verum,
13 dulces fuistis) : et tamen meas chartas
14 revisitote, sed pudenter et raro.

6

C6 v.1 Socer, beate nec tibi neque alteri,
2 generque Noctuine, putidum caput,
3 tuoque nunc puella talis et tuo
4 stupore pressa rus abibit et mihi
5 (ut ille versus usque quaque pertinet)
6 gener socerque, perdidistis omnia.

7

C7 v.1 Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam :
2 dispeream, nisi me perdidit iste putus.
3 Sin autem praecepta vetant me dicere, sane
4 non dicam, sed : Me perdidit iste puer.

8

C8 v.1 Villula, quae Sironis eras, et pauper agelle,
2 verum illi domino tu quoque divitiae,
3 me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,
4 siquid de patria tristius audiero,
5 commendo primisque patrem : tu nunc eris illi,
6 Mantua quod fuerat quodque Cremona prius.

9

C9 v.1 Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebo,
2 pauca mihi doctae dicite Pegasides.
3 Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi,
4 victor, qua terrae quaque patent maria,
5 horrida barbaricae portans insignia pugnae,
6 magnus ut Oenides utque superbus Eryx,
7 nec minus idcirco vestros expromere cantus
8 maximus et sanctos dignus inire choros.
9 Hoc itaque insuetis jactor magis, optime, curis,
10 quid de te possim scribere quidve tibi.
11 Namque (fatebor enim) quae maxima deterrendi
12 debuit, hortandi maxima causa fuit.
13 Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
14 carmina cum lingua, tum sale Cecropio,
15 carmina quae Phrygium, saeclis accepta futuris,
16 carmina, quae Pylium vincere digna senem.

Molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus
moeris pastores et Meliboeus erant
dulcia jactantes alterno carmina versu,
qualia Trinacriae doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes heroida divi,
certatim divae munere quoque suo.
Felicem ante alias o te scriptore puellam !
altera non fama dixerit esse prior ;
non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
quae volucrem cursu vicerat Hippomenen ;
candida cycneo non edita Tyndaris ovo ;
non supero fulgens Cassiopea polo ;
non defensa diu multum certamine equorum,
obstabant gravidae quod sibi quaeque manus
saepe animam generi pro qua pater impius hausit,
saepe rubro similis sanguine fluxit humus ;
regia non Semele, non Inachis Acrisione,
immitti expertae fulmine et imbre Jovem ;
non cujus ob raptum pulsi liquere penates
Tarquinii patrios, filius atque pater,
illo quo primum dominatus Roma superbos
mutavit placidis tempore consulibus,
multa neque immeritis donavit praemia alumnis,
praemia Messalis maxima Poplicolis. -
Nam quid ego immensi memorem studia ista laboris,
horrida quid durae tempora militiae ?
Castra foro, te castra Urbi praeponere, castra
tam procul hoc gnato, tam procul hac patria ;
immoderata pati jam frigora jamque calores,
sternere vel dura posse super silice ;
saepe trucem adverso perlabi sidere pontum,
saepe mare audendo vincere, saepe hiemem,
saepe etiam densos immittere corpus in hostes,
communem belli non meminisse deum ;
nunc celeres Afros, perjurae milia gentis,
aurea nunc rapidi flumina adire Tagi,
nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem,
vincere et Oceani finibus ulterius -
non nostrum est tantas, non, inquam, attingere laudes,
quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est :
ipsa haec, ipsa ferent rerum monumenta per orbem,
ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea quae tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius et Musae, Bacchus et Aglaie,
si laudem adspirare humilis, si adire Cyrenas,
si patrio Graios carmine adire sales
possumus, optatis plus jam procedimus ipsis.
Hoc satis est : pingui nil mihi cum populo.

10

C10
Sabinus ille, quem videtis, hospites,
ait fuisse mulio celerrimus,
neque ullius volantis impetum cisi
nequisse praeterire, sive Mantuam
opus foret volare sive Brixiam.
Et hoc negat Triphonis aemuli domum
negare nobilem insulamve Caeruli,
ubi iste post Sabinus, ante Quinctio

bidente dicit attodisse forcipe
comata colla, ne Cytorio jugo
premente dura volnus ederet juba.
Cremona frigida et lutosa Gallia,
tibi haec fuisse et esse cognitissima
ait Sabinus. Ultima ex origine
tua stetisse dicit in voragine,
tua in palude deposisse sarcinas
et inde tot per orbitosa milia
jugum tulisse, laeva sive dextera
strigare mulas sive utrumque coeperat
[Lacune]
neque ulla vota semitalibus deis
sibi esse facta praeter hoc novissimum,
paterna lora proximumque pectinem.
Sed haec prius fuere : nunc eburnea
sedetque sede seque dedicat tibi,
gemelle Castor et gemelle Castoris.

11

C11 Quis deus, Octavi, te nobis abstulit ? An quae
dicunt, a, nimio pocula dura mero ?
Vobiscum, si est culpa, bibi ; sua quemque sequontur
fata : quid immeriti crimen habent cyathi ?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur et te
raptum et Romanam flebinus historiam,
sed tu nullus eris. Perversi dicite Manes,
hunc superesse patri quae fuit invidia ?

12

C12 Superbe Noctuine, putidum caput,
datur tibi puella quam petis, datur ;
datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
duas habere filias Atilium,
duas, et hanc et alteram, tibi dari ?
Adeste, nunc adeste : ducit, ut decet,
superbus ecce Noctuinus - hirneam.
Thalassio, thalassio, thalassio.

13

C13 Jacere me, quod alta non possim, putas,
ut ante vectari freta
nec ferre durum frigus aut aestum pati
neque arma victoris sequi ?
Valent, valent mihi ira et antiquos furor
et lingua qua adsim tibi
et prostitutae turpe contubernium
sororis (o quid me incitas,
quid impudice et improbande Caesari ?).
Seu furta dicantur tua
et heluato sera patrimonio
in fratre parsimonia
vel acta puero cum viris convivia
udaeque per somnum nates
et inscio repente clamatum insuper
thalassio, thalassio -
quid palluisti, femina ? An joci dolent ?

An facta cognoscis tua ?
Non me vocabis pulcra per Cotytia
ad feriatos fascinos
nec deinde te movere lumbos in ratulam
prensis videbo altaribus
flavomque propter Thybrim olentis nauticum
vocare, ubi adpulsae rates
caeno retentae sordido stant in vadis
macraque luctantes aqua,
neque in culinam et uncta compitalia
dapesque duces sordidas,
quibus repletus ut salivosis aquis,
obesam ad uxorem redis
et aestuantes dote solvis pantices
osusque lambis saviis.
Nunc laede, nunc lacesse, si quidquam vales.
Et nomen adscribo tuom :
cinaede Liciene, liquerunt opes
fameque genuini crepant ;
videbo habentem praeter ignavos nihil
fratres et iratum Jovem
scissumque ventrem et hirniosi patrui
pedes inedia turgidos.

14

C14
Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
o Paphon, o sedes quae colis Idalias,
Troius Aeneas Romana per oppida digno
jam tandem ut tecum carmine victus eat :
non ego ture modo aut picta tua templa tabella
ornabo et puris serta feram manibus -
corniger hos aries humilis et maxima taurus
victima sacrato sparget honore focos
marmoreusque tibi aut mille coloribus ales
in morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis o Cytherea : tuos te Caesar Olympo
et Surrentini litoris ara vocat.

## CIRIS

Etsi me vario jactatum laudis amore
irritaque expertum fallacis praemia volgi
Cecropius suavis exspirans hortulus auras
florentis viridi sophiae complectitur umbra,
tum ea quaeret eo dignum sibi quaerere carmen
longe aliud studium atque alios accincta labores
altius ad magni suspendit sidera mundi
et placitum paucis ausa est ascendere collem ;
non tamen absistam coeptum detexere munus,
in quo jure meas utinam requiescere musas
et leviter blandum liceat deponere morem.
Quod si mirificum sophiae genus omne secutum
mirificum sedi modo sit tibi velle libido,
si me jam summa Sapientia pangeret arce
quattuor antiquis heredibus edita consors,
unde hominum errores longe lateque per orbem
despicere atque humilis possem contemnere curas,

non ego te talem venerarer munere tali,
non equidem (quamvis interdum ludere nobis
et gracilem molli liceat pede claudere versum),
sed magno intexens (si fas est dicere) peplo,
qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
debita cum castae solvuntur vota Minervae
tardaque confecto redeunt quinquennia lustro,
cum levis alterno Zephyrus concrebruit Euro
et prono gravidum provexit pondere currum
felix ille dies, felix et dicitur annus,
felices qui talem annum videre diemque
ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae,
magna Giganteis ornantur pepla tropaeis,
horrida sanguinea pinguntur proelia Gorgo,
additur aurata dejectus cuspide Typhon,
qui prius Ossaeis consternens aethera saxis
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum
tale deae velum sollemni tempore portant :
tale te vellem, juvenum doctissime, ritu
purpureos inter soles et candida lunae
sidera, caeruleis orbem pulsantia bigis,
naturae rerum magnis intexere chartis,
aeterno ut sophiae conjunctum carmine nomen
nostra tuom senibus loqueretur pagina saeclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes
nunc primum teneros firmamus robore nervos,
haec tamen interea quae possumus, in quibus aevi
prima rudimenta et juvenes exegimus annos,
accipe dona meo multum vigilata labore
promissa atque diu jam tandem reddita vota,
impia prodigiis ut quondam exterrita proles
Scylla novos avium sublimis in aere coetus
viderit et tenui conscendens aethera penna
caeruleis sua tecta super volitaverit alis,
hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
pro patria solvens excisa et funditus urbe.
Complures illam magni, Messalla, poetae
(nam verum fateamur : amat Polyhymnia verum)
longe aliam perhibent mutatam in membra figuram
Scyllaeum monstro saxum infestasse voraci ;
illam esse aerumnis quam saepe legamus Ulixi
candida succinctam latrantibus inguina monstris
dulichias vexasse rates et gurgite in alto
deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae
nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii volgo finxere puellas,
quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero,
ipse Crataein ei matrem ; sed sive Crataeis
sive illam monstro generavit Scylla biformi
sive nec utra parens atque hoc in carmine toto
inguinis est vitium et veneris descripta libido ;
sive etiam jactis speciem mutata venenis
infelix virgo (quid enim commiserat illa ?
Ipse pater timidam saeva complexus harena
conjugium castae violaverat Amphitritae,
at tamen exegit longo post tempore poenas,
ut cum cura tuae veheretur conjugis alto

ipsa trucem multo misceret sanguine pontum) ;
seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnis
et cupidos quaestu passi, popularet amantes,
piscibus heu canibusque malis vallata repente est
(horribilis circum vidit se sistere formas :
heu quotiens mirata novos expalluit artus,
ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus),
ausa quod est mulier numen fraudare deorum
et dictam Veneri votorum a vertere poenam,
quam mala multiplici juvenum consaepta caterva
dixerat atque animo meretrix jactata ferarum
(infamen tali merito rumore fuisse
docta Palaepaphiae testatur voce Pachynus) :
quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
omnia sim : potius liceat notescere cirin
atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare quae cantus meditanti mittere caecos
magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
Pierides, quarum castos altaria postis
munere saepe meo inficiunt foribusque hyacinthi
deponunt flores aut suave rubens narcissus
aut crocus alterna conjungens lilia caltha
sparsaque liminibus floret rosa - nunc age, divae,
praecipue nostro nunc aspirate labori
atque novom aeterno praetexite honore volumen.
Sunt Pandioniis vicinae sedibus urbes
Actaeos inter colles et candida Thesei
purpureis late ridentia litora conchis,
quarum non ulli fama concedere digna
stat Megara, Alcathoi quondam munita labore,
Alcathoi Phoebique : deus namque affuit illi,
unde etiam citharae voces imitatus acutas
sape lapis recrepat, Cyllenia munera, pulsus
et veterem sonitu Phoebi testatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tunc fervebat in armis,
fecerat infestam populator remige Minos,
hospitio quod se Nisi Polyidos avito
carpathium fugiens et flumina Caeratea
texerat. Hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretaea sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives neque tunc rex ipse veretur
infesto ad muros volitantis agmine turmas
deicere et indomitas virtute retundere mentes,
responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis (mirabile dictu)
candida caesarie florebant tempora lauro
et roseus medio surgebat vertice crinis,
cujus quam servata diu natura fuisset,
tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
concordes stabili firmarant numine Parcae.
Ergo omnis cano residebat cura capillo,
aurea sollemni comptum quem fibula ritu
Cecropiae tereti nectebant dente cicadae.
Nec vero haec urbis custodia vana fuisset
(nec fuerat), ni Scylla novo correpta furore,
Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulcrum,
o nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater

iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Juppiter (ille etiam Poenos domitare leones
et validas docuit vires mansuescere tigris,
ille etiam divos homines sed dicere magnum est)
idem tum tristis acuebat parvolus iras.
Junonis magnae, cujus perjuria divae
olim se meminere diu) perjura puella
(non ulli liceat) violaverat inscia sedem,
dum sacris operata deae lascivit et extra
procedit longe matrum comitumque catervam
suspensam gaudens in corpore ludere vestem
et tumidos agitante sinus aquilone relaxans.
Necdum etiam castos gustaverat ignis honores
necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
pallentis foliis caput exornarat olivae,
cum lapsa e manibus fugit pila cumque relapsa
procurrit virgo. Quod uti ne prodita ludo
aurea jam gracili solvisset corpore pallam.
Omnia quae retinere gradum cursusque morari
possent, o tecum vellem tua semper haberes :
non umquam violata manu sacraria divae
jurando, infelix, nequiquam jure piasses.
Etsi quis nocuisse tibi perjuria credat ?
Causa pia est : timuit fratri te ostendere Juno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
quaeritur ex omni verborum injuria dictu,
aurea fulgenti depromens tela pharetra
(heu nimium terret, nimium Tirynthia visu)
virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quae simul ac venis hausit sitientibus ignem
et validum penitus concepit in ossa furorem,
saeva velut gelidis Edonum Bistonis oris
ictave barbarico Cybeles antistita buxo
infelix virgo tota bacchatur in urbe
non styrace Idaeo fragrantis picta capillos,
coccina non teneris pedibus Sicyonia servans,
non niveo retinens bacata monilia collo.
Multum illi incerto trepido vestigia cursu :
saepe redit patrios ascendere perdita muros
aeriasque facit causam se visere turris,
saepe etiam tristis volvens in nocte querelas
sedibus ex altis caeli speculatur amorem
castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit, carum non respicit aurum,
non arguta sonant tenui psalteria chorda,
non Libyco molles plauduntur pectine telae ;
nullus in ore rubor : ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solacia tantis
tabidulamque videt labi per viscera mortem,
quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
fertur et horribili praeceps impellitur oestro,
ut patris, a demens, crinem de vertice serum
furtive arguto detonsum mitteret hosti.
Namque haec condicio miserae proponitur una
sive illa ignorans (quis non bonus omnia malit
credere quam tanti sceleris damnare puellam ?),
heu tamen infelix : quid enim imprudentia prodest ?
Nise pater, cui direpta crudeliter urbe

vix erit una super sedes in turribus altis,
fessus ubi exstructo possis considere nido,
(tu quoque avis moriere) : dabit tibi filia poenas.
Gaudete, o celeres, subnixae nubibus altis,
quae mare, quae viridis silvas lucosque sonantis
incolitis, gaudete, vagae, gaudete, volucres,
vosque adeo, humanos mutatae corporis artus,
vos, o crudeli fatorum lege, puellae
Dauliades, gaudete : venit carissima vobis
cognatos augens reges numerumque suorum
ciris et ipse pater. Vos, o pulcherrima quondam
corpora, caeruleas praevertite in aethera nubes,
qua novus ad superum sedes haliaeetos et qua
candida concessos ascendat ciris honores.
Jamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat vigilumque procul custodia primis
excubias foribus studio jactabat inani :
cum furtim tacito descendens Scylla cubili
auribus erectis nocturna silentia temptat
et pressis tenuem singultibus aera captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
egreditur ferroque manus armata bidenti
evolat : at demptae subita in formidine vires
caeruleas sua furta prius testantur ad umbras.
Nam qua se ad patrium tendebat semita limen,
vestibulo in thalami paulum remoratur et alti
suspicit ad caeli nictantia sidera mundi
non accepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phoenicis filia Carme
surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
marmoreo aeratus stridens in limine cardo),
corripit extemplo fessam languore puellam
et simul O nobis sacrum caput inquit alumna,
non tibi nequiquam viridis per viscera pallor
aegroto tenuis suffundit sanguine venas
nec levis hoc faceret (neque enim pote) cura : subegit
aut fallor, quod ut a potius, Rhamnusia, fallar.
Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi
nec gravidos Cereris dicam contingere fetus ?
Qua causa ad patrium solam vigilare cubile
tempore, quo fessas mortalia pectora curas,
quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus ?
Dic age nunc miserae saltem quod saepe petenti
jurabas nihil esse mihi, cur maesta parentis
formosos circum virgo remorere capillos.
Ei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
ille Arabae Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
ut scelere infando (quod nec sinat Adrastea)
laedere utrumque uno studeas errore parentem.
Quod si alio quovis animi jactaris amore
(nam te jactari, non est Amathusia nostri
tam rudis ut nullo possim cognoscere signo),
si concessus amor noto te macerat igni :
per tibi Dictynnae praesentia numina juro,
prima deum mihi quae dulcem te donat alumnam,
omnia me potius, digna atque indigna, laborum
milia nisuram, quam te tam tristibus istis
sordibus et sanie patiar tabescere tali.

Haec loquitur mollique ut se velavit amictu
frigidulam injecta circumdat veste puellam,
quae prius in tenui steterat succincta crocota.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens
persequitur miserae causas exquirere tabis.
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra.
Illa autem Quid me inquit, nutricula, torques ?
Quid tantum properas nostros novisse furores ?
Non ego consueto mortalibus uror amore
nec mihi notorum deflectunt lumina voltus
nec genitor cordi est : ultro namque odimus omnis.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
in quo falsa, tamen lateat pietatis imago,
sed media ex acie, mediis ex hostibus - heu, heu,
quid dicam quove aegra malum hoc exordiar ore ?
Dicam equidem, quoniam tu nunc non dicere, nutrix,
non sinis : extremum hoc munus morientis habeto
ille, vides, nostris qui moenibus assidet hostis,
quem pater ipse deum sceptri donavit honore,
cui Parcae tribuere nec ullo volnere laedi
(dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis)
ille mea, ille idem oppugnat praecordia Minos.
Quod per te divom crebros obtestor amores
perque tuom memori sanctum mihi pectus alumnae,
ut me si servare potes, nec perdere malis,
sin autem optatae spes est incisa salutis,
nec mihi quam merui invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
ante in conspectum casusve deusve tulisset,
aut ferro hoc (aperit ferrum quod veste latebat)
purpureum patris dempsissem vertice crinem
aut mihi praesenti peperissem volnere letum.
Vix haec ediderat, cum clade exterrita tristi
intonsos multo deturpat pulvere crinis
et graviter questu Carme complorat anili :
o mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
o iterum nostrae Minos inimice senectae,
semper ut aut olim natae te propter eundem
aut Amor insanae luctum portavit alumnae.
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
tam grave servitium, tam duros passa labores
effugere, o bis jam exitium crudele meorum ?
Jam jam nec nobis, heu quae senioribus una
vivendi causa est, vivit genus. Ut quid ego amens
te erepta, o Britomarti, mei spes una sepulcri,
te, Britomarti, diem potui producere vitae ?
Atque utinam celeri nec tantum grata Dianae
venatus esses virgo sectata virorum
Gnosia nec Partho contendens spicula cornu.
Dictaeas ageres ad gramina nota capellas ;
nunquam tam obnixe fugiens Minois amores
praeceps aerii specula de montis abisses
unde alii fugisse ferunt et numen Aphaeae
virginis assignant, alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint haec vera velim : mihi certe, nata, peristi :
nunquam ego te summo volitantem vertice [montis]

Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
conspiciam nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum haec, tunc nobis gravia atque indigna, fuere,
tu, mea alumna, tui cum spes integra maneret
et vox ista meas nondum violaverat auris.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit,
tene, o sola meae vivendi causa senectae ?
Saepe tuo dulci nequiquam capta sopore
cum premeret natura, mori me velle negavi,
ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me, infelix, aut quae me fata reservant ?
An nescis, qua lege patris de vertice summo
edita candentis praetexat purpura canos ?
Quae tenui patriae spes sit suspensa capillo ?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem,
inscia quandoquidem scelus es conata nefandum ;
sin est quod metuo, per te, mea alumna, tuomque
expertum multis miserae mihi rebus amorem,
parcere saeva precor per numina Ilithyiae
nec tantum facinus tu nulla mente sequaris
(non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
flectere, Amor, nec sit cum dis contendere nostrum),
sed patris incolumi potius denubere regno
atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates
hoc unum exsilio docta atque experta monebo.
Quod si non alia poteris ratione parentem
flectere (sed poteris : quid enim non unica possis ?),
tunc potius tandem ipsa (pio cum jure licebit,
cum facti causam tempusque doloris habebis),
tunc potius conata tua atque incepta referto :
meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
polliceor : nihil est, quod texitur ordine, longum.
His ubi sollicitos animi relevaverat aestus
vocibus et blanda pectus spe luserat aegrum,
paulatim tremebunda genis obducere vestem
virginis et placidam tenebris captare quietem
inverso bibulum restinguens lumen olivo
incipit ad crebrosque insani pectoris ictus
ferre manum assiduis mulcens praecordia palmis.
Noctem illam sic maesta super morientis alumnae
frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum
et gelida veniente mihi quatiebat ab Oeta,
quem pavidae alternis fugitant optantque puellae
(Hesperium vitant, optant ardescere Eoum),
praeceptis paret virgo nutricis et omnis
undique conquirit nubendi sedula causas.
Temptantur patriae submissis vocibus aures
laudanturque bonae pacis bona ; multus inepte
virginis insolitae sermo novus errat in ore :
nunc tremere instantis belli certamina dicit
communemque timere deum, nunc regis amicis
(namque ipsi verita est) orbum flet maesta parentem :
cum Jove communis qui non habuere nepotes ?
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
invenit et divom terret formidine civis ;
nunc alia ex aliis (nec desunt) omnia quaerit.
Quin etiam castos ausa est corrumpere vates,

ut, cum caesa pio cecidisset victima ferro,
esset qui generum Minon auctoribus extis
jungere et ancipitis suaderet tollere pugnas.
At nutrix patula componens sulpura testa
narcissum casiamque herbas incendit olentis
terque novena ligans triplici diversa colore
fila ter in gremium mecum inquit despue, virgo,
despue ter virgo : numero deus impare gaudet.
Inde mago geminata Jovi frigidula sacra,
sacra nec Idaeis anubus nec cognita Grais,
pergit Amyclaeo spargens altaria thallo
regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum
nec possunt homines nec possunt flectere divi
(tanta est in parvo fiducia crine cavendi),
rursus ad inceptum sociam se adjungit alumnae
purpureamque parat rursus tondere capillum
cum, longo quod jam captat succurrere amori,
non minus illa tamen, revehi quod moenia Cressa
gaudeat : et cineri patria est jucunda sepulcro.
Ergo iterum capiti Scylla est inimica paterno :
tum coma Sidonio florens deciditur ostro,
tum capitur Megara et divom responsa probantur,
tum suspensa novo ritu de navibus altis
per mare caeruleum trahitur Niseia virgo.
Complures illam nymphae mirantur in undis,
miratur pater Oceanus et candida Tethys
et cupidas secum rapiens Galatea sorores,
illam etiam junctis magnum quae piscibus aequor
et glauco bipedum curru metitur equorum
Leucothea parvosque dea cum matre Palaemon ;
illi etiam alternas sortiti vivere luces,
cara Jovis suboles, magnum Jovis incrementum,
Tyndaridae niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces atque haec lamenta per auras
fluctibus in mediis questu volvebat inani,
ad caelum infelix ardentia lumina tendens,
lumina, nam teneras arcebant vincula palmas :
supprimite o paulum turbati flamina venti,
dum queror et divos (quamquam nil testibus illis
profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti testabor et aurae,
vos o [materna] si qui de gente venitis,
cernitis ? illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla (quod o salva liceat te dicere, Procne),
illa ego sum Nisi pollentis filia quondam,
certatim ex omnis petiit quam Graecia regno
quam curvus terras amplectitur Hellespontus ;
illa ego sum, Minos, sacrato foedere conjunx
dicta tibi : tamen haec, etsi non accipis, audis.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas ?
Vincta tot adsiduas pendebo ex ordine luces ?
Non equidem me alio possum contendere dignam
supplicio, quod sic patriam carosque penates
hostibus inmitique addixi ignara tyranno.
Verum est : haec, Minos, illos scelerata putavi,
si nostra ante aliquis nudasset foedera casus,
facturos, quorum direptis moenibus urbis

o ego crudelis flamma delubra petivi.
Te vero victore prius vel sidera cursus
mutatura suos quam te mihi talia captae
facturum metui. Jam jam scelus omnia vincit.
Tene ego plus patrio dilexi perdita regno ?
Tene ego ? nec mirum : vultu decepta puella
ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.
Non equidem ex isto speravi corpore posse
tale malum nasci : forma vel sidera fallas.
Me non deliciis commovit regia dives,
curalio fragili aut electro lacrimoso,
me non florentes aequali corpore nymphae,
non metus impendens potuit retinere deorum :
omnia vincit amor : quid enim non vinceret ille ?
Non mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha,
pronuba nec castos accendet pinus odores,
nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro -
parva queror : ne me illa quidem communis alumna
omnibus injecta tellus tumulabit harena.
Mene inter matres ancillarisque maritas,
mene alias inter famularum munere fungi,
conjugis atque tuae, quaecumque erit illa, beatae
non licuit gravidos penso devolvere fusos ?
At belli saltem captivam lege necasses.
Jam tandem casus hominum, jam respice, Minos.
Sit satis hoc tantum Scyllam vidisse malorum :
vel fato fuerit nobis haec debita pestis,
vel casu incerto, merita vel denique culpa :
omnia nam potius quam te fecisse putabo.
Labitur interea revoluta ab litore classis,
magna repentino sinuantur lintea coro,
flectitur in viridi remus sale, languida fessae
virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon
Cypselidae magni florentia regna Corinthum ;
praeterit abruptas Scironis protinus arces
infestumque suis dirae testudinis exit
spelaeum multoque cruentas hospite cautes.
Jamque adeo tutum longe Piraeea cernit
et notas, eheu frustra, respectat Athenas ;
jam procul e fluctu Salaminia respicit arva
florentisque videt jam Cycladas : hinc sinus illi
Sunias, hinc statio contra patet Hermionaea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo ;
prospicit incinctam spumanti litore Cythnon
marmoreamque Paron viridemque adlapsa Donusam
Aeginamque simul salutiferamque Seriphon.
Jam fessae tandem fugiunt de corpore vires
et caput inflexa lentum cervice recumbit,
marmorea adductis labescunt bracchia nodis.
Aequoreae pristes, immania corpora ponti,
undique conveniunt et glauco in gurgite circum
verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Fertur et incertis jactatur ad omnia ventis,
cymba velut magnas sequitur cum parvula classis
Afer et hiberno bacchatur in aequore turbo,
donec tale decus formae vexarier undis

non tulit ac miseros mutavit virginis artus
caeruleo pollens conjunx Neptunia regno.
Sed tamen aeternam squamis vestire puellam
infidosque inter teneram committere pisces
non statuit (nimium est avidum pecus Amphitrites) :
aeriis potius sublimem sustulit alis,
esset ut in terris facti de nomine "ciris",
ciris Amyclaeo formosior ansere Ledae.
Hic velut in niveo tenera est cum primitus ovo
effigies animantis et internodia membris
imperfecta novo fluitant concreta calore,
sic liquido Scyllae circumfusum aequore corpus
semiferi incertis etiam nunc partibus artus
undique mutabant atque undique mutabantur.
Oris honos primum et multis optata labella
et patulae frontis species concrescere in unum
coepere et gracili mentum producere rostro ;
tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
ecce repente velut patrios imitatus honores
puniceam concussit apex in vertice cristam ;
at mollis varios intexens pluma colores
marmoreum volucri vestivit tegmine corpus
lentaque perpetuans fuderunt bracchia pennas ;
inde alias partes minioque infecta rubenti
crura nova macies obduxit squalida pelli
et pedibus teneris unguis affixit acutos.
Et tamen hoc demum miserae succurrere pacto
vix fuerat placida Neptuni conjuge dignum.
Numquam illam post haec oculi videre suorum
purpureas flavo retinentem vertice vittas,
non thalamus Syrio fragrans accepit amomo,
nullae illam sedes : quid enim cum sedibus illi ?
Quae simul ut sese cano de gurgite velox
cum sonitu ad caelum stridentibus extulit alis
et multum late dispersit in aequora rorem,
infelix virgo nequiquam a morte recepta
incultum solis in rupibus exigit aevum,
rupibus et scopulis et litoribus desertis.
Nec tamen hoc iterum poena sine : namque deum rex,
omnia qui imperio terrarum milia versat,
commotus talem ad superos volitare puellam,
cum pater exstinctus caeca sub nocte lateret,
illi pro pietate sua (nam saepe rubentis
sanguine taurorum supplex resperserat aras,
saepe deum largo decorarat munere sedes)
reddidit optatam mutato corpore vitam
fecitque in terris haliaeetos ales ut esset :
quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscis.
Huic vero miserae, quoniam damnata deorum
judicio natique et conjugis ante fuisset,
infesti apposuit odium crudele parentis.
Namque ut in aetherio signorum munere praestans,
unum quem duplici stellatum sidere vidi,
Scorpios alternis clarum fugat Oriona :
sic inter sese tristis haliaeetos iras
et ciris memori servant ad saecula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat aethera pennis,
ecce inimicus atrox magno stridore per auras

insequitur Nisus ; qua se fert Nisus ad auras,
illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.

## COPA

Copa Syrisca caput Graeca redimita mitella,
   crispum sub crotalo docta movere latus,
ebria fumosa saltat lasciva taberna,
   ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat aestivo defessum pulvere abesse
   quam potius bibulo decubuisse toro ?
Sunt topia et calybae, cyathi rosa, tibia chordae
   et trichila umbrosis frigida harundinibus.
En et, Maenalio quae garrit dulce sub antro,
   rustica pastoris fistula in ore sonat.
Est et vappa, cado nuper defusa picato,
   et strepitans rauco murmure rivus aquae,
sunt etiam croceo violae de flore corollae
   sertaque purpurea lutea mixta rosa
et quae virgineo libata Achelois ab amne
   lilia vimineis attulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat,
   sunt autumnali cerea pruna die
castaneaeque nuces et suave rubentia mala,
   est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius ;
sunt et mora cruenta et lentis uva racemis
   et pendet junco caeruleus cucumis.
Est tuguri custos, armatus falce saligna,
   sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc calybita veni. Lassus jam sudat asellus,
   parce illi : Vestae delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae,
   nunc varia in gelida sede lacerta latet :
si sapis, aestivo recubans nunc prolue vitro,
   seu vis cristalli ferre novos calices.
Hic age pampinea fessus requiesce sub umbra
   et gravidum roseo necte caput strophio,
formosum tenerae decerpens ora puellae
   a pereat cui sunt prisca supercilia.
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta ?
   Anne coronato vis lapide ista tegi ?
Pone merum et talos. Pereat qui crastina curat.
   Mors aurem vellens:"Vivite, ait, venio."

## CULEX

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia
atque ut araneoli tenuem formavimus orsum ;
lusimus : haec propter culicis sint carmina docta,
omnis et historiae per ludum consonet ordo
notitiaeque ducum voces, licet invidus adsit.
Quisquis erit culpare jocos musamque paratus,
pondere vel culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi musa loquetur
nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonae magnique Jovis decus, aurea proles,
Phoebus erit nostri princeps et carminis auctor

et recinente lyra fautor, sive educat illum
Arna Chimaereo Xanthi perfusa liquore
seu decus Asteriae seu qua Parnasia rupes
hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naides, et celebrate deum ludente chorea.
Et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrunt
agrestum bona fetura - sit cura tenentis
aerios nemorum cultus silvasque virentes :
te cultrice vagus saltus feror inter et antra.
Et tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere coeptis,
sancte puer, tibi namque canit non pagina bellum
triste Jovis ponitque
Phlegra, Giganteo sparsa est quae sanguine tellus,
nec Centaureos Lapithas compellit in enses ;
urit Erichthonias Oriens non ignibus arces,
non perfossus Athos nec magno vincula ponto
jacta meo quaerent jam sera volumine famam,
non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientis undique Persas -
mollia sed tenui pede currere carmina versu
viribus apta suis Phoebo duce laedere gaudet.
Hoc tibi, sancte puer ; memorabilis et tibi certet
gloria perpetuum lucens mansura per aevum,
et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
debita felices memoretur vita per annos,
grata bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur.
Igneus aetherias jam sol penetrabat in arces
candidaque aurato quatiebat lumina curru,
crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat :
propulit e stabulis ad pabula laeta capellas
pastor et excelsi montis juga summa petivit,
lurida qua patulos velabant gramina colles.
Jam silvis dumisque vagae, jam vallibus abdunt
corpora jamque omni celeres e parte vagantes
tondebant tenero viridantia gramina morsu.
Scrupea desertas haerebant ad cava rupes,
pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu
vel salicis lentae vel quae nova nascitur alnus,
haec teneras fruticum sentis rimatur, at illa
imminet in rivi praestantis imaginis undam.
O bona pastoris (si quis non pauperis usum
mente prius docta fastidiat et probet illis
somnia luxuriae spretis) incognita curis
quae lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lota colore
Attalicis opibus data vellera, si nitor auri
sub laqueare domus animum non anget avarum
picturaeque decus, lapidum nec fulgor in ulla
cognitus utilitate manet, nec pocula gratum
Alconis referent Boethique toreuma, nec Indi
conchea baca maris pretio est, at pectore puro
saepe super tenero prosternit gramine corpus,
florida cum tellus, gemmantis picta per herbas,

vere notat dulci distincta coloribus arva ;
atque illum calamo laetum recinente palustri
otiaque invidia degentem et fraude remota
pollentemque sibi viridi cum palmite lucens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratae rorantes lacte capellae
et nemus et fecunda Pales et vallibus intus
semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior aevo
quam qui mente procul pura sensuque probando
non avidas agnovit opes nec tristia bella
nec funesta timet validae certamina classis
nec, spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet
templa vel evectus finem transscendat habendi,
adversum saevis ultro caput hostibus offert ?
Illi falce deus colitur non arte politus,
ille colit lucos, illi Panchaia tura
floribus agrestes herbae variantibus adsunt,
illi dulcis adest requies et pura voluptas,
libera, simplicibus curis : huic imminet, omnis
derigit huc sensus, haec cura est subdita cordi,
quolibet ut requie victu contentus abundet
jucundoque liget languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes et o gratissima Tempe
fontis Hamadryadum, quarum non divite cultu
aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poetae
securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
pastor agit curas et dum non arte canora
compacta solitum modulatur harundine carmen,
tendit inevectus radios Hyperionis ardor
lucidaque aetherio ponit discrimina mundo,
qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et jam compellente vagae pastore capellae
ima susurrantis repetebant ad vada lymphae
quae subter viridem residebant caerula muscum.
Jam medias operum partis evectus erat sol,
cum densas pastor pecudes cogebat in umbras.
Ut procul aspexit luco residere virenti,
Delia diva, tuo, quo quondam victa furore
venti Nyctelium fugiens Cadmeis Agave,
infandas scelerata manus et caede cruenta,
quae gelidis bacchata jugis requievit in antro
posterius poenam nati de morte datura -
hic etiam viridi ludentes Panes in herba
et Satyri Dryadesque choros egere puellae
Naiadum coetu. Non tantum Oeagrius Hebrum
restantem tenuit ripis silvasque canendo
quantum te, pernix, remorantem, diva, chorea
multa tuo laetae fundentes gaudia vultu,
ipsa loci natura domum resonante susurro
quis dabat et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
aeriae platanus, inter quas impia lotos,
impia, quae socios Ithaci maerentis abegit,
hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At, quibus insigni curru projectus equorum
ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,

Heliades, teneris implexae bracchia truncis,
candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius cui Demophoon aeterna reliquit
perfidiam lamentandi mala - perfide multis,
perfide Demophoon et nunc defende puellis.
Quam comitabantur, fatalia carmina, quercus,
quercus ante datae Cereris quam semina vitae
(illas Triptolemi mutavit sulcus aristis).
Hic magnum Argoae navi decus addita pinus
proceros decorat silvas hirsuta per artus
ac petit aeriis contingere montibus astra.
ilicis et nigrae species et laeta cupressus
umbrosaeque manent fagus hederaeque ligantes
bracchia, fraternos plangat ne populus ictus,
ipsaeque ascendunt ad summa cacumina lentae
pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
carmina per varios edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans e fontibus unda,
quae levibus placidum rivis sonat orsa liquorem ;
et quaqua geminas avium vox obstrepit aures,
hac querulae referunt voces quis nantia limo
corpora lympha fovet ; sonitus alit aeris echo,
argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessae cubuere capellae
excelsis subter dumis, quos leniter adflans
aura susurrantis poscit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
mitem concepit projectus membra soporem,
anxius insidiis nullis, sed lentus in herbis
securo pressos somno mandaverat artus.
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
ni Fors incertos jussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
inmanis vario maculatus corpore serpens,
mersus ut in limo magno subsideret aestu,
obvia vibranti carpens, gravis aere, lingua
squamosos late torquebat motibus orbes :
tollebant aurae venientis ad omnia visus.
Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
(attollit nitidis pectus fulgoribus et se
sublimi cervice caput, cui crista superne
edita purpureo lucens maculatur amictu
aspectuque micant flammarum lumina torvo)
metabat sese circum loca, cum videt ingens
adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
lumina diffundens intendere et obvia torvus
saepius arripiens infringere, quod sua quisquam
ad vada venisset. Naturae comparat arma :
ardet mente, furit stridoribus, intonat ore,
flexibus eversis torquentur corporis orbes,
manant sanguineae per tractus undique guttae,
spiritibus rumpit fauces. Cui cuncta parantur,
parvulus hunc prior umoris conterret alumnus
et mortem vitare monet per acumina ; namque
qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
hac senioris erat naturae pupula telo

icta levi, cum prosiluit furibundus et illum
obtritum morti misit, cui dissitus omnis
spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem
lumina respexit serpentem comminus ; inde
impiger, exanimis, vix compos mente refugit
et validum dextra detraxit ab arbore truncum
(qui casus sociarit opem numenve deorum
prodere sit dubium, valuit sed vincere talis
horrida squamosi volventia membra draconis)
atque reluctantis crebris foedeque petentis
ictibus ossa ferit, cingunt qua tempora cristae ;
et quod erat tardus somni languore remoti
nescius aspiciens timor obcaecaverat artus,
hoc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit caesum languescere, sedit.
Jam quatit et bijugis oriens Erebeis equos nox
et piger aurata procedit Vesper ab Oeta,
cum grege compulso pastor duplicantibus umbris
vadit et in fessos requiem dare comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus
languidaque effuso requierunt membra sopore,
effigies ad eum culicis devenit et illi
tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
"Quis," inquit, "meritis ad quae delatus acerbas
cogor adire vices ! tua dum mihi carior ipsa
vita fuit vita, rapior per inania ventis.
Tu lentus refoves jucunda membra quiete
ereptus taetris e cladibus, at mea Manes
viscera Lethaeas cogunt transnare per undas.
Praeda Charonis agor, vidi et flagrantia taedis
limina collucent infestis omnia templis !
Obvia Tisiphone, serpentibus undique compta,
et flammas et saeva quatit mihi verbera ; pone
Cerberus (en diris flagrant latratibus ora !),
anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis
sanguineique micant ardorem luminis orbes.
Heu, quid ab officio digressa est gratia, cum te
restitui superis leti jam limine ab ipso ?
Praemia sunt pietatis ubi, pietatis honores ?
In vanas abiere vices. Et rure recessit
justitia et prior illa Fides ? Instantia vidi
alterius, sine respectu mea fata relinquens.
Ad pariles agor eventus : fit poena merenti.
Poena sit exitium, modo sit dum grata voluntas.
Exsistat par officium. Feror avia carpens,
avia Cimmerios inter distantia lucos,
quem circa tristes densentur in omnia poenae.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
devinctum maestus procul aspiciens Ephialten,
conati quondam cum sint inscendere mundum ;
et Tityos, Latona, tuae memor anxius irae
(implacabilis ira nimis) jacet alitis esca.
Terreor, a, tantis insistere, terreor, umbris.
Ad Stygias revocatus aquas vix ultimus amni
restat nectareas divom qui prodidit escas,
gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
contempsisse dolor quem numina vincit acerbans

otia quaerentem frustra sibi ? ite, puellae,
ite, quibus taedas accendit tristis Erinys.
Sicut Hymen praefata dedit conubia mortis
atque alias alio densas super agmina turmas,
impietate fera vecordem Colchida matrem,
anxia sollicitis meditantem volnera natis ;
jam Pandionia miserandas prole puellas,
quarum vox Ityn edit Ityn, quo Bistonius rex
orbus epops maeret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo semine fratres
jam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
alter in alterius, jamque aversatus uterque,
impia germani manat quod sanguine dextra.
eheu mutandus numquam labor ! auferor ultra
in diversa magis, distantia nomina cerno ;
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Persephone comites heroidas urget
adversas praeferre faces. Alcestis ab omni
inviolata vacat cura, quod saeva mariti
in Chalcedoniis Admeti fata morata est.
Ecce Ithaci conjunx semper decus, Icariotis,
femineum concepta decus, manet et procul illa
turba ferox juvenum, telis confixa, procorum.
Quid, misera Eurydice, tanto maerore recesti,
poenaque respectus et nunc manet Orpheos in te ?
Audax ille quidem qui mitem Cerberon umquam
credidit aut ulli Ditis placabile numen,
nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis
nec maesta obtenta Ditis ferrugine regna
nec fossasque domos ac Tartara nocte cruenta
obsita nec faciles Ditis sine judice sedes,
judice, qui vitae post mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat ante.
Jam rapidi steterant amnes et turba ferarum
blanda voce sequax regionem insederat Orphei,
jamque imam viridi radicem moverat alte
quercus humo [steterant amnes] silvaeque sonorae
sponte sua cantus rapiebant cortice avara.
Labentis bijuges etiam per sidera Lunae
pressit equos et tu cupientis, menstrua virgo,
auditura lyram tenuisti nocte relicta.
Haec eadem potuit, Ditis, te vincere, conjunx,
Eurydicenque viro ducendam reddere. Non fas,
non erat in vitam divae exorabile mortis.
Illa quidem nimium Manis experta severos
praeceptum signabat iter nec rettulit intus
lumina nec divae corrupit munera lingua ;
sed tu crudelis, crudelis tu magis Orpheu,
oscula cara petens rupisti jussa deorum.
Dignus amor venia ; gratum, si Tartara nossent ;
peccatum meminisse grave est. Vos sede piorum,
vos manet heroum contra manus. Hic et uterque
Aeacides (Peleus namque et Telamonia virtus
per secura patris laetantur numina, quorum
conubiis Venus et Virtus injunxit honorem :
hunc rapuit ferit, ast illum Nereis amavit)
assidet, hic juvenes, sociatae gloria sortis,
alter, in excisum, referens a navibus ignis

Argolicis Phrygios torva feritate repulsos -
(o quis non referat talis divortia belli,
quae Trojae videre viri videreque Grai,
Teucria cum magno manaret sanguine tellus
et Simois Xanthique liquor, Sigeaque propter
litora cum Troas saevi ducis Hectoris ira
videre in classes inimica mente Pelasgas
vulnera tela neces ignes inferre paratos ?
Ipsa jugis namque Ida potens feritatis, ab ipsa
Ida faces altrix cupidis praebebat alumnis,
omnis ut in cineres Rhoetei litoris ora
classibus ambustis flamma lacrimante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros
objectoque dabat clipeo certamina, et illinc
Hector erat, Trojae summum decus, acer uterque,
fluminibus veluti fragor et libet in se
tegminibus telisque super
eriperet reditus, alter Volcania ferro
vulnera protectus depellere navibus instat.)
Hos erat Aeacides vultu laetatus honores,
Dardaniaeque alter fuso quod sanguine campis
Hector lustravit devicto corpore Trojam.
Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat et hujus
arma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
Huic gerit aversos proles Laertia vultus,
et jam Strymonii Rhesi victorque Dolonis
Pallade jam laetatur ovans rursusque tremescit :
jam Ciconas jamque horret atrox Laestrygone litus ;
illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Aetnaeusque Cyclops, illum metuenda Charybdis
pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantaleae generamen prolis Atrides
adsidet, Argivum lumen, quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit heu Graius poenas tibi, Troja, ruenti,
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
ne quisquam propriae fortunae munere dives
iret inevectus caelum super : omne propinquo
frangitur invidiae telo decus. Ibat in altum
vis Argea petens patriam ditataque praeda
arcis Erichthoniae ; comes huic erat aura secunda
per placidum cursu pelagus ; Nereis ab unda
signa dabat passim flexis super acta carinis,
cum seu caelesti fato seu sideris ortu
undique mutatur caeli nitor, omnia ventis,
omnia turbinibus sunt anxia ; jam maris unda
sideribus certat consurgere jamque superne
corripere et soles et sidera cuncta minatur
ac ruere in terras caeli fragor. Hic modo laetans
copia nunc miseris circumdatur anxia fatis
immoriturque super fluctus et saxa Capherei,
Euboicas aut per cautes Aegaeaque late
litora, cum Phrygiae passim vaga praeda peremptae
omnis in aequoreo fluitat jam naufraga fluctu.
Hic alii resident pariles virtutis honore
heroes mediisque siti sunt sedibus omnes,
omnes, Roma decus magni quos suspicit orbis.

Hic Fabii Deciique, hic est et Horatia virtus,
hic et fama vetus numquam moritura Camilli,
Curtius et, mediis quem quondam sedibus Urbis
devotum bellis consumpsit gurges in unda.
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
cui cessit Lydi timefacta potentia regis ;
hic Curius clarae socius virtutis et ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammae.
Jure igitur tales sedes, pietatis honores
Scipiadasque duces, quorum devota triumphis
moenia Romanis Libycae Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant : ego Ditis opacos
cogor adire lacus viduos, a, lumine Phoebi
et vastum Phlegethonta pati, quo, maxime Minos,
conscelerata pia discernis vincula sede.
Ergo jam causam mortis, jam dicere vitae
verberibus saevae cogunt ab judice Poenae,
cum mihi tu sis causa mali nec conscius adsis ;
sed tolerabilibus curis haec immemor audis
et tamen ut vadis dimittes omnia ventis.
Digredior numquam rediturus : tu cole fontis
et viridis nemorum silvas et pascua laetus,
at mea diffusas rapiantur dicta per auras."
Dixit et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae
interius graviter regementem, nec tulit ultra
sensibus infusum culicis de morte dolorem,
quantumcumque sibi vires tribuere seniles
(quis tamen infestum pugnans devicerat hostem),
rivom propter aquae viridi sub fronte latentem
conformare locum capit impiger. Hunc et in orbem
destinat ac ferri capulum replevit in usum,
gramineam ut viridi foderet de caespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
congestum cumulavit opus atque aggere multo
telluris tumulus formatum crevit in orbem.
Quem circum lapidem levi de marmore formans
conserit, assiduae curae memor. Hic et acanthos
et rosa purpureum crescent pudibunda ruborem
et violae omne genus ; hic est et Spartica myrtus
atque hyacinthos et hic Cilici crocus editus arvo,
laurus item Phoebi decus urgens, hic rhododaphne
liliaque et roris non avia cura marini
herbaque turis opes priscis imitata Sabina
chrysanthusque hederaeque nitor pallente corymbo
et bocchus Libyae regis memor, hic amarantus
bumastusque virens et semper florida tinus.
Non illinc narcissus abest, cui gloria formae
igne Cupidineo proprios exarsit in artus ;
et quoscumque novant vernantia tempora flores,
his tumulus super inseritur. Tum fronte locatur
elogium, tacita firmat quod littera voce :
"Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
funeris officium vitae pro munere reddit."

**DIRAE**

D0 Battare, cycneas repetamus carmine voces :
divisas iterum sedes et rura canamus,
rura quibus diras indiximus, impia vota.
Ante lupos rapient haedi, vituli ante leones,
delphini fugient pisces, aquilae ante columbas
et conversa retro rerum discordia gliscet -
multa prius fient quam non mea libera avena :
montibus et silvis dicat tua facta, Lycurge.
Impia Trinacriae sterilescant gaudia vobis
nec fecunda, senis nostri felicia rura,
semina parturiant segetes, non pascua colles,
non arbusta novas fruges, non pampinus uvas,
ipsae non silvae frondes, non flumina montes.
Rursus et hoc iterum repetamus, Battare, carmen :
effetas Cereris sulcis condatis avenas,
pallida flavescant aestu sitientia prata,
immatura cadant ramis pendentia mala,
desint et silvis frondes et fontibus umor,
nec desit nostris devotum carmen avenis.
Haec Veneris vario florentia serta decore,
purpureo campos quae pingunt verna colore
(hinc aurae dulces, hinc suavis spiritus agri),
mutent pestiferos aestus et taetra venena ;
dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.
Sic precor, et nostris superent haec carmina votis :
ludimus et multum nostris cantata libellis
optima silvarum, formosis densa virectis,
tondemus virides umbras, nec laeta comantis
jactabis mollis ramos inflantibus auris
(nec mihi saepe meum resonabit, Battare, carmen),
militis impia cum succedet dextera ferro
formosaeque cadent umbrae, formosior illis
ipsa cades, veteris domini felicia ligna -
nequiquam : nostris potius devota libellis
ignibus aetheriis flagrabit. Juppiter, (ipse
Juppiter hanc aluit), cinis haec tibi fiat oportet.
Thraecis tum Boreae spirent immania vires,
Eurus agat mixtam furva caligine nubem,
Africus immineat nimbis minitantibus imbrem,
cum tu, cyaneo resplendes aethere, silva,
non iterum dices crebro "tua Lydia" dixti.
Vicinas flammae rapiant ex ordine vitis,
pascantur segetes, diffusis ignibus auras
transvolet, arboribus conjungat et ardor aristas.
Pertica qua nostros metata est impia agellos,
qua nostri fines olim, cinis omnia fiat.
Sic precor, et nostris superent haec carmina votis :
undae, quae vestris pulsatis litora lymphis,
litora, quae dulcis auras diffunditis agris,
accipite has voces : migret Neptunus in arva
fluctibus et spissa campos perfundat harena ;
qua Vulcanus agros pastus Jovis ignibus arcet,
barbara dicatur Libycae soror altera Syrtis.
Tristius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen :
nigro multa mari dicunt portenta natare,
monstra repentinis terrentia saepe figuris,
cum subito emersere furenti corpora ponto ;

haec agat infesto Neptunus caeca tridenti
atrum convertens aestum maris undique ventis
et fuscum cinerem canis exhauriat undis.
Dicantur mea rura ferum mare (nauta caveto),
rura, quibus diras indiximus, impia vota.
Si minus haec, Neptune, tuas infundimus auris,
Battare, fluminibus tu nostros trade dolores :
nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica.
Nil est quod perdam ulterius : merita omnia Ditis.
Flectite currentis nymphas, vaga flumina, retro,
flectite et adversis rursum diffundite campis ;
incurrant amnes passim rimantibus undis
nec nostros servire sinant erronibus agros.
Dulcius hoc, memini, revocasti, Battare, carmen :
emanent subito sicca tellure paludes,
et metat hic juncos, spicas ubi legimus olim,
cogulet arguti grylli cava garrula rana.
Tristius hoc rursum dicit mea fistula carmen :
praecipitent altis fumantes montibus imbres
et late teneant diffuso gurgite campos,
qui dominis infesta minantes stagna relinquant.
Cum delapsa meos agros pervenerit unda,
piscetur nostris in finibus advena arator,
advena, civili qui semper crimine crevit.
O male devoti, praetorum crimina, agelli,
tuque inimica tui semper Discordia civis,
exsul ego indamnatus egens mea rura reliqui,
miles ut accipiat funesti praemia belli ?
Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam,
hinc ibo in silvas : obstabunt jam mihi colles,
obstabunt montes, campos audire licebit :
"dulcia rura valete et Lydia dulcior illis
et casti fontes et, felix nomen, agelli."
Tardius, a, miserae descendite monte capellae
(mollia non iterum carpetis pabula nota)
tuque resiste pater : sit prima novissima nobis.
Intueor campos : longum manet esse sine illis.
Rura valete iterum tuque, optima Lydia, salve,
sive eris et si non mecum morieris utrumque.
Extremum carmen revocemus, Battare, avena :
dulcia amara prius fiant et mollia dura,
candida nigra oculi cernent et dextera laeva,
migrabunt casus aliena in corpora rerum,
quam tua de nostris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo :
gaudia semper enim tua me meminisse licebit.

## POUR LA MORT DE MECENE[1]

Defleram juvenis tristi modo carmine fata,
sunt etiam merito carmina danda seni.
Ut juvenis deflendus enim tam candidus et tam
longius annoso vivere dignus avo.
Inreligata ratis, numquam defessa carina,
et redit in vastos semper onusta lacus.
Illa rapit juvenes prima florente juventa,
non oblita tamen sed repetitque senes.

Nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici,
Lollius hoc ergo conciliavit opus.
Foedus erat vobis nam propter Caesaris arma
Caesaris et similem propter in arma fidem.
Regis eras, Etrusce, genus ; tu Caesaris almi
dextera, Romanae tu vigil urbis eras.
Omnia cum posses tanto tam carus amico,
te sensit nemo posse nocere tamen.
Pallade cum docta Phoebus donaverat artes :
tu decus et laudes hujus et hujus eras.
Vincit vulgares, vincit Berytus arenas,
litore in extremo quas simul unda movet.
Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum :
diluis hoc nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo,
quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit.
Livide, quid tandem tunicae nocuere solutae ?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus ?
Num minus Urbis erat custos et Caesaris opses ?
Num tibi non tutas fecit in Urbe vias ?
Nocte sub obscura quis te spoliavit amantem ?
Quis tetigit ferro, durior ipse, latus ?
Majus erat potuisse tamen nec velle triumphos,
major res magnis abstinuisse fuit.
Maluit umbrosam quercum nymphasque cadentes
paucaque pomosi jugera certa soli.
Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis
sederat argutas garrulus inter avis.
Marmora Maeonii vincent monumenta libelli :
vivitur ingenio, cetera mortis erunt.
Quid faceret ? defunctus erat comes integer, idem
miles et Augusti fortiter usque pius.
Illum piscosi viderunt saxa Pelori
ignibus hostilis reddere ligna ratis ;
pulvere in Emathio fortem videre Philippi,
tam nunc ille tener, tam gravis hostis erat !
cum freta Niliacae texerunt laeta carinae,
fortis erat circa, fortis et ante ducem,
militis Eoi fugientis terga secutus,
territus ad Nili dum fugit ille caput.
Pax erat : haec illos laxarunt otia cultus ;
omnia victores Marte sedente decent.
Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
postquam victrices conticuere tubae.
Hic modo miles erat, ne posset femina Romam
dotalem stupri turpis habere sui.
Hic tela in profugos (tantum curaverat arcum !)
misit ad extremos Exorientis equos.
Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,
potasti galea dulce juvante merum
et tibi securo tunicae fluxere solutae :
te puto purpureas tunc habuisse duas.
Sum memor, et certe memini sic ducere thyrsos
baltea purpurea candidiora nive.
Et tibi thyrsus erat gemmis ornatus et auro,
serpentes hederae vix habuere locum.
Argentata tuos etiam talaria talos
vinxerunt certe nec, puto, Bacche, negas.

Mollius est solito mecum tum multa locutus
et tibi consulto verba fuere nova.
Impiger Alcide, multo defuncte labore,
sic memorant curas te posuisse tuas,
sic te cum tenera multum lusisse puella,
oblitum, Nemea jamque, Erymanthe, tui.
Ultra numquid erat ? Torsisti pollice fusos,
lenisti morsu levia fila parum.
Percussit crebros te propter, Lydia, nodos,
te propter dura stamina rupta manu.
Lydia te tunicas jussit lasciva fluentes
inter lanificas ducere saepe suas.
Clava torosa tua pariter cum pelle jacebat,
quam pede suspenso percutiebat Amor.
Quis fore credebat, premeret cum jam impiger infans
Hydros ingentes vix capiente manu,
cumve renascentem meteret velociter hydram,
frangeret immanes vel Diomedis equos
vel tribus adversis communem fratribus alvum
et sex adversas solus in arma manus.
Fudit Aloidas postquam dominator Olympi,
dicitur in nitidum procubuisse diem
atque aquilam misisse suam, quae quaereret, ecquid
posset amaturo digna referre Jovi.
Valle sub Idaea dum te, formose sacerdos,
invenit et presso molliter ungue rapit.
Sic est. Victor amet, victor potiatur in umbra,
victor odorata dormiat inque rosa.
Victus aret victusque metat, metus imperet illi,
membra nec in strata sternere discat humo.
Tempora dispensat usus et tempora cultus,
haec homines, pecudes, haec moderantur aves.
Lux est : taurus arat ; nox est : requiescit ; arator
liberat et merito fervida colla bovi.
Conglaciantur aquae : scopulis se condit hirundo ;
verberat egelidos garrula vere lacus.
Caesar amicus erat : poterat vixisse solute,
cum jam Caesar idem, quod cupiebat, erat.
Indulsit merito : non est temerarius ille.
Vicimus : Augusto judice dignus erat.
Argo saxa pavens postquam Scyllaea relegit
Cyaneosque metus jam religanda ratis,
viscera disjecti mutavit in arietis agno
Aeetis sucis omniperita suis.
His te, Maecenas, juvenescere posse decebat ;
haec utinam nobis Colchidos herba foret !
Redditur arboribus florens revirentibus aetas :
ergo non homini quod fuit ante redit ?
Vivacesque magis cervos decet esse paventes,
si quorum in torva cornua fronte rigent ?
Vivere cornices multos dicuntur in annos :
cur nos angusta condicione sumus ?
Pascitur Aurorae Tithonus nectare conjunx
atque ita jam tremulo nulla senecta nocet.
Ut tibi vita foret semper medicamine sacro,
te vellem Aurorae complacuisse virum.
Illius aptus eras croceo recubare cubili
et, modo puniceum rore lavante torum,

illius aptus eras roseas adjungere bigas,
tu dare purpurea lora regenda manu,
tu mulcere jubam, cum jam torsisset habenas
procedente die respicientis equi.
Quaesivere chori juvenum sic Hesperon illum,
quem nexum medio solvit in igne Venus,
quem nunc infusa placidus sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.
Hic tibi Corycium, casias hic donat olentis,
hic et palmiferis balsama missa jugis.
Nunc pretium candoris habes, nunc redditus umbris :
te sumus obliti decubuisse senem.
Ter Pylium flevere sui, ter Nestora canum
dicebantque tamen, non satis esse senem :
Nestoris annosi vicisses saecula, si me
dispensata tibi stamina nente forent.
Nunc ego, quod possum ? Tellus, levis ossa teneto,
pendula librato pondus et ipsa tuum.
Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores,
non umquam sitiens, florida semper eris.

## POUR lA MORT DE MECENE_2

Sic est Maecenas fato veniente locutus,
frigidus et jam jam cum moriturus erat.
"Men", inquit, "juvenis primaevi, Juppiter, ante
angustum Drusi non cecidisse diem !
Pectore maturo fuerat puer, integer aevo,
et magnum magni Caesaris illud opus.
Discidio vellemque prius -" non omnia dixit
inciditque pudor quae prope dixit amor,
sed manifestus erat. Moriens quaerebat amatae
conjugis amplexus oscula verba manus
"Sed tamen hoc satis est : vixi te, Caesar, amico
et morior" dixit, "dum moriarque, sat est.
Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet umor,
cum dicar subita voce fuisse tibi.
Hoc mihi contingat, jaceam tellure sub aequa ;
nec tamen hoc ultra te doluisse velim,
sed meminisse velim : vivam sermonibus illic ;
semper ero, semper si meminisse voles.
Et decet et certe vivam tibi semper amore,
nec tibi qui moritur desinit esse tuus.
Ipse ego quidquid ero cineres interque favillas,
tunc quoque non potero non memor esse tui.
Exemplum vixi te propter molle beati,
unctus Maecenas teque ego propter eram.
Arbiter ipse fui, volui quod contigit esse,
pectus eram vere pectoris ipse tui.
Vive diu, mi care, senex pete sidera sero :
est opus hoc terris, te quoque velle decet.
Et tibi succrescant juvenes bis Caesare digni
et tradant porro Caesaris usque genus.
Sit secura tibi quam primum Livia conjunx,
expleat amissi munera rupta gener.
Cum deus intereris divis insignis avitis,
te Venus in patrio collocet ipsa sinu."

## EST NON

Est" et "non" cuncti monosyllaba nota frequentant.
His demptis nihil est hominum quod sermo volutet.
Omnia in his et ab his sunt omnia, sive negoti
sive oti quicquam est, seu turbida sive quieta.
Alterutro pariter nonnumquam, saepe seorsis
obsistunt studiis, ut mores ingeniumque
et facilis vel difficilis contentio nata est.
Si consentitur, mora nulla, intervenit "Est, est " .
Sin controversum, dissensio subiciet "Non " .
Hinc fora dissultant clamoribus, hinc furiosi
jurgia sunt circi, cuneati hinc tanta theatri
seditio et tales agitat quoque curia lites.
Conjugia et nati cum patribus ista quietis
verba serunt studiis, salva pietate loquentes.
Hinc etiam placidis schola consona disciplinis
dogmaticas agitat lento certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba sophorum.
Lux est. Estne dies ergo ? Non convenit istuc.
Nam facibus multis aut fulguribus quotiens lux
est nocturna homini, non est lux ista diei.
"Est" et "Non" Igitur quotiens lucem esse fatendum est,
sed non esse diem. Mille hinc certamina surgunt.
Hinc rauci multi, qui talia commeditantes
murmure concluso rabiosa silentia rodunt.
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant !

## LYDIA

Invideo vobis, agri formosaque prata,
hoc formosa magis, mea quod formosa puella
et vobis tacite nostrum suspirat amorem ;
vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis,
et mea submissa meditatur carmina voce,
cantat et interea, mihi quae cantabat in aurem.
Invideo vobis, agri, discetis amare.
O fortunati nimium multumque beati,
in quibus illa pedis nivei vestigia ponet
aut roseis viridem digitis decerpserit uvam
(dulci namque tumet nondum vitecula Baccho)
aut inter varios, Veneris stipendia, flores
membra reclinarit teneramque illiserit herbam
et secreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata
et gelidi fontes aviumque silentia fient,
tardabunt rivi labentes currite lymphae,
dum mea jucundas exponat cura querellas.
Invideo vobis, agri : mea gaudia habetis,
et vobis nunc est mea quae fuit ante voluptas.
At male tabescunt morientia membra dolore
et calor infuso decedit frigore mortis,
quod mea non mecum domina est. Non ulla puella
doctior in terris fuit aut formosior, ac, si
fabula non vana est, tauro Jove digna vel auro

(Juppiter avertas aurem) mea sola puella est.
Felix taure, pater magni gregis et decus, a te
vaccula non unquam secreta cubilia captans
frustra te patitur silvis mugire dolorem.
Et pater haedorum felix semperque beate,
sive petis montes praeruptos saxa pererrans
sive tibi silvis nova pabula fastidire
sive libet campis : tecum tua laeta capella est.
Et mas quicumque est, illi sua femina juncta
interpellatos numquam ploravit amores.
Cur non et nobis facilis, natura, fuisti ?
Cur ego crudelem patior tam saepe dolorem ?
Sidera per viridem redeunt cum pallida mundum
inque vicem Phoebe currens atque aureus orbis,
Luna, tuus tecum est : cur non est et mea mecum ?
Luna, dolor nosti quid sit : miserere dolentis.
Phoebe, recens in te laurus celebravit amorem,
et quae pompa deum (nisi vilia fama locuta est,
omnia vos estis) secum sua gaudia gestat
aut inspersa videt mundo ; quae dicere longum est.
Aurea quin etiam cum saecula volvebantur,
condicio similis fuerat mortalibus illis.
Haec quoque praetereo : notum Minoidos astrum
quaeque virum virgo sicut captiva secuta est.
Laedere, caelicolae, potuit vos nostra quid aetas,
condicio nobis vitae quo durior esset ?
Ausus egon primus castos violare pudores
sacratumque meae vittam temptare puellae
immatura mea cogor nece solvere fata ?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra
prima foret ! letum vita mihi dulcius esset.
Non mea, non ullo moreretur tempore fama,
dulcia cum Veneris furatus gaudia primus
dicerer atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nunc mihi non tantum tribuerunt impia vota
auctor ut occulti nosti foret error amoris :
Juppiter ante, sui semper mendacia factus,
cum Junone, prius conjunx quam dictus uterque est,
gaudia libavit dulcem furatus amorem.
Et moechum tenera gavisa est laedere in herba
purpureos flores, quos insuper accumbebat,
grandia formoso supponens gaudia collo
(tum, credo, fuerat Mavors distentus in armis,
nam certe Volcanus opus faciebat et illi
tristi turpabat malas fuligine barbam).
Non Aurora novos etiam ploravit amores
atque rubens oculos roseo celavit amictu ?
Talia caelicolae. Numquid minus aurea proles ?
Ergo quod deus atque heros, cur non minor aetas ?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,
quo facilis natura fuit. Sors o mea laeva
nascendi miserumque genus, quo sera libido est.
Tantum vita meae cordis fecere rapinam,
ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.

## MORETUM

Jam nox hibernas bis quinque peregerat horas
excubitorque diem cantu praedixerat ales,
Simylus exigui cultor cum rusticus agri,
tristia venturae metuens jejunia lucis,
membra levat vili sensim demissa grabato
sollicitaque manu tenebras explorat inertes
vestigatque focum, laesus quem denique sensit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus
et cinis obductae celabat lumina prunae.
Admovet his pronam summissa fronte lucernam,
et producit acu stuppas humore carentes,
excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebrae fulgore recedunt,
oppositaque manu lumen defendit ab aura
et reserat casulae quae pervidet ostia clavi.
Fusus erat terra frumenti pauper acervus :
hinc sibi depromit quantum mensura patebat,
quae bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit adsistitque molae parvaque tabella,
quam fixam paries illos servabat in usus,
lumina fida locat ; geminos tunc veste lacertos
liberat et cinctus villosae tergore caprae
perverrit cauda silices gremiumque molarum.
Advocat inde manus operi, partitus utrinque :
laeva ministerio, dextra est intenta labori.
Haec rotat adsiduum gyris et concitat orbem.
Tunsa Ceres silicum rapido decurrit ab ictu,
interdum fessae succedit laeva sorori
alternatque vices. Modo rustica carmina cantat
agrestique suum solatur voce laborem,
interdum clamat Scybalen. Erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,
torta comam labroque tumens et fusca colore,
pectore lata, jacens mammis, compressior alvo,
cruribus exilis, spatiosa prodiga planta.
Hanc vocat atque arsura focis imponere ligna
imperat et flamma gelidos adolere liquores.
Postquam implevit opus justum versatile finem,
transfert inde manu fusas in cribra farinas
et quatit ; ac remanent summa purgamina dorso ;
subsidit sincera foraminibusque liquatur
emundata Ceres. Levi tum protinus illam
componit tabula, tepidas super ingerit undas :
contrahit admixtos nunc fontes atque farinas,
transversat durata manu liquidoque coacto
interdum grumos spargit sale. Jamque subactum
levat opus palmisque suom dilatat in orbem
et notat impressis aequo discrimine quadris.
Infert inde foco (Scybale mundaverat aptum
ante locum) testisque tegit, super aggerat ignis.
Dumque suas peragit Volcanus Vestaque partes,
Simylus interea vacua non cessat in hora,
verum aliam sibi quaerit opem neu sola palato
sit non grata Ceres, quas jungat comparat escas.
Non illi suspensa focum carnaria juxta
durati sale terga suis truncique vacabant,
trajectus medium sparto sed caseus orbem

et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
Hortus erat junctus casulae, quem vimina pauca
et calamo rediviva levi muniebat harundo,
exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Nil illi deerat, quod pauperis exigit usus ;
interdum locuples a paupere plura petebat.
Nec sumptus erat ullius opus, sed regula curae :
si quando vacuum casula pluviaeve tenebant
festave lux, si forte labor cessabat aratri,
horti opus illud erat. Varias disponere plantas
norat et occultae committere semina terrae
vicinosque apte circa summittere rivos.
Hic holus, hic late fundentes bracchia betae
fecundusque rumex malvaeque inulaeque virebant,
hic siser et nomen capiti debentia porra,
hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
grataque nobilium requies lactuca ciborum,
plurima surgit ibi crescitque in acumina radix,
et gravis in latum dimissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini, quis enim contractior illo ?
Sed populi proventus erat, nonisque diebus
venales umero fasces portabat ad urbem :
inde domum cervice levis, gravis aere redibat
vix umquam urbani comitatus merce macelli.
Caepa rubens sectique famem domat area porri
quaeque trahunt acri voltus nasturtia morsu
intibaque et Venerem revocans eruca morantem.
Tunc quoque tale aliquid meditans intraverat hortum ;
ac primum leviter digitis tellure refossa,
quattuor educit cum spissis alia fibris ;
inde comas apii gracilis rutamque rigentem
vellit et exiguo coriandra trementia filo.
Haec ubi collegit, laetum consedit ad ignem
et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum nodoso corpore nudat
et summis spoliat coriis contemptaque passim
spargit humi atque abicit ; servatum gramine bulbum
tinguit aqua lapidisque cavom demittit in orbem.
His salis inspargit micas, sale durus adeso
caseus adjicitur, dictas super ingerit herbas,
et laeva vestem saetosa sub inguina fulcit ;
dextera pistillo primum flagrantia mollit
allia, tum pariter mixto terit omnia suco.
It manus in gyrum : paulatim singula vires
deperdunt proprias, color est e pluribus unus,
nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Saepe viri nares acer jaculatur apertas
spiritus et simo damnat sua prandia vultu,
saepe manu summa lacrimantia lumina terget,
immeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus ; nec jam salebrosus ut ante
sed gravior lentos ibat pistillus in orbis.
Ergo Palladii guttas instillat olivi
exiguique super vires infundit aceti
atque iterum commiscet opus mixtumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus

circuit inque globum distantia contrahit unum,
constet ut effecti species nomenque "moreti".
Eruit interea Scybale quoque sedula panem,
quem laetus recipit manibus, pulsoque timore
jam famis inque diem securus Simylus illam
ambit crura ocreis paribus tectusque galero
sub juga parentis cogit lorata juvencos
atque agit in segetes et terrae condit aratrum.

## **PRIAPEA_1**

Vere rosa, autumno pomis, aestate frequentor
spicis : una mihi est horrida pestis hiemps ;
nam frigus metuo et vereor ne ligneus ignem
hic deus ignavis praebeat agricolis.

## PRIAPEA_2

Ego haec, ego arte fabricata rustica,
ego arida, o viator, ecce populus
agellulum hunc, sinistra et ante quem vides,
erique villulam hortulumque pauperis
tuor malaque furis arceo manu.
Mihi corolla picta vere ponitur,
mihi rubens arista sole fervido,
mihi virente dulcis uva pampino
mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
in urbem adulta lacte portat ubera
meisque pinguis agnus ex ovilibus
gravem domum remittit aere dexteram
teneraque matre mugiente vaccula
deum profundit ante templa sanguinem.
Proin, viator, hunc deum vereberis
manumque sursum habebis : hoc tibi expedit,
parata namque crux stat ecce mentula.
Velim pol inquis. At pol ecce vilicus
venit, valente cui revulsa bracchio
fit ista mentula apta clava dexterae.

## PRIAPEA_3

Hunc ego, o juvenes, locum villulamque palustrem
tectam vimine junceo caricisque maniplis,
quercus arida rustica fomitata securi
nutrior : magis et magis fit beata quotannis.
Hujus nam domini colunt me deumque salutant,
pauperis tuguri pater filiusque adulescens,
alter assidua colens diligentia, ut herbae
aspera ut rubus a meo sint remota sacello,
alter parva manu ferens semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla,
primitus tenera virens spica mollis arista,
luteae violae mihi lacteumque papaver
pallentesque cucurbitae et suave olentia mala,
uva pampinea rubens educata sub umbra ;
sanguine haec etiam mihi (sed tacebitis) arma
barbatus linit hirculus cornipesque capella.
Pro quis omnia honoribus nunc necesse Priapo est

praestare et domini hortulum vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas :
vicinus prope dives est neglegensque Priapi.
Inde sumite : semita haec deinde vos feret ipsa.

PRIAPEA_4

Quid hoc novi est ? Quid ira nuntiat deum ?
Silente nocte candidus mihi puer
tepente cum jaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
iners senile penis extulit caput.
Placet, Priape, qui sub arboris coma
soles, sacrum revincte pampino caput
ruber sedere cum rubente fascino ?
At, o Triphalle, saepe floribus novis
tuas sine arte deligavimus comas,
abegimusque voce saepe, cum tibi
senexve corvus impigerve graculus
sacrum feriret ore corneo caput.
Vale nefande destitutor inguinum,
vale Priape : debeo tibi nihil.
Jacebis inter arva pallidus situ,
canisque saeva susque ligneo tibi
lutosus africabit oblitum latus.
At o sceleste penis, o meum malum,
gravi piaque lege noxiam lues.
Licet querare : nec tibi tener puer
patebit ullus, imminente qui toro
juvante verset arte mobilem natem,
puella nec jocosa te levi manu
fovebit apprimetve lucidum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
paratur, inter atra cujus inguina
latet jacente pantice abditus specus
vagaque pelle tectus annuo gelu
araneosus obsidet forem situs.
Tibi haec paratur, ut tuum ter aut quater
voret profunda fossa lubricum caput.
Licebit aeger angue lentior, cubes,
tereris usque, donec a, miser, miser
triplexque quadruplexque compleas specum.
Superbia ista proderit nihil, simul
vagum sonante merseris caput luto.
Quid est, iners ? Pigetne lentitudinis ?
Licebit hoc inultus auferas semel :
sed ille cum redibit aureus puer,
simul sonante senseris iter pede,
rigente nervos excubet libidine,
et inquietus inguina arrigat tumor,
neque incitare cesset usque dum mihi
Venus jocosa molle ruperit latus.

**Vir bonus et sapiens**, qualem vix repperit unum
milibus e cunctis hominum consultus Apollo,
judex ipse sui totum se explorat ad unguem,
quid proceres, vanique levis quid opinio vulgi,

securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
externae ne quid labis per levia sidat.
Ille diem quam longus erit sub sidere Cancri,
quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno,
cogitat et justo trutinae se examine pendit,
ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aequis
partibus ut coeat, nil ut deliret amussis,
sit solidum quodcumque subest, nec inania subter
indicet admotus digitis pellentibus ictus,
non prius in dulcem declinans lumina somnum,
omnia quam longi reputaverit acta diei :
qua praetergressus, quid gestum in tempore, quid non ?
Cur isti facto decus afuit aut ratio illi ?
Quid mihi praeteritum ? cur haec sententia sedit
quam melius mutare fuit ? Miseratus egentem
cur aliquem fracta persensi mente dolorem ?
Quid volui quod nolle bonum foret ? Utile honesto
cur malus antetuli ? Num dicto aut denique vultu
perstrictus quisquam ? Cur me natura magis quam
disciplina trahit ? Sic dicta et facta per omnia
ingrediensque ortoque a vespere cuncta revolvens
offensus pravis dat palmam et praemia rectis.